This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Ga
110
843

Ga110.843

Harvard College Library

FROM

The Museum of
Comp. Zoölogy.

22 Nov. 1889.

Gallo. 843

DE ARISTOPHANIS ECCLESIAZUSON TEMPORE ET CHORO QUAESTIONES EPICRITICAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA CHRISTIANA ALBERTINA KILIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

CONSCRIPSIT

FRIDERICUS KAEHLER,
ZACHERIANUS LAUENBURGENSIS.

IENAE MDCCCLXXXIX
TYPIS EXPRESSIT OFFICINA FROMMANNIANA.

Sa 110.843

22 Nov. 1889
Leipzig.
Museum comp. Zoologie

Rectoratsjahr 1889/90. No. 3.
Imprimatur: Dr. G. Busolt, h. t. prodecanus.

VIRIS ILLUSTRISSIMIS

OTTOCARO CAMERARIO DE WITZENDORFF
RUDOLFO HIRZEL

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

FRIDERICUS KAEHLER.

I.

De tempore Ecclesiazuson.

Lenaeis, non Dionysiis magnis, ut censuerunt Glypheus [1]) et Droysenus [2]), Aristophanem Ecclesiazusas in certamen commisisse non facile iam quisquam poterit dubitare. Iure enim viri docti [3]) ea vestigia sunt secuti, quae in adnotatione ad v. 291 huius fabulae facta impressit Palmerius [4]), et mulieres quod inducuntur sub gallicinium domo profectae atque sole nondum orto tenebras lanternis et luminibus illu-

1) Aristophanes Weibervolksversammlung. Nebst einer Abhandlung über Veranlassung, Absicht und Darstellung des Stücks. Von Dr. Glypheus (Schnitzer). Stuttgardiae a. 1836. Cf. p. 24.

2) Version. vernacul. edit. tert. tom. II, p. 327.

3) Passovius in Diarii studior. antiqu. (ed. Zimmermann) vol. IV, a. 1837, p. 244 adn.

Dindorfius in editionis Oxoniensis vol. III, p. 661 ad v. 18.

Goetzius in dissertatione, quae est de temporibus Ecclesiazuson Aristophanis. Cf. Act. societat. philol. Lipsiens. ed. Fridericus Ritschelius tom. II. fascicul. II., p. 337 sqq.

Velsenus in Leutschii Indic. philol. vol. VI, a. 1874, p. 392.

Ribbeckius in Diarii litter. Jenens., vol. II, a. 1875, p. 451.

Wuerzius in dissertatione, quae inscribitur: Merces ecclesiastica Athenis quibus de causis quoque tempore instituta et qua ratione dispensari solita sit. Berol. a. 1878. Cf. p. 17 adn. 3.

Steinius in dissertatiuncula, quae de Aristophan. Ecclesiazus. argumento e quarto rei publicae Platonis libro sumpto est composita. Halis Saxon. a. 1880. Cf. p. 4 sqq.

Blaydesius in edition. praefat. p. V.

Bergkius in histor. litter. Graec. vol. IV (ed. Peppmueller), p. 86 adn.

Christius in histor. litter. Graec. Cf. Iwan Mueller, Handbuch der klass. Altertumswissenschaft vol. VII, p. 230, adn. 3.

Dubius haeret Belochius in libro, qui inscribitur: Die attische Politik seit Pericles p. 357.

4) Exercitationes in optimos fere auctores Graecos. Lugduni Batav. a. 1680, p. 780.

strantes, inde collegerunt fabulam eo tempore anni esse actam, quo cives ad contiones matutinas re vera migrabant diluculo. Quae sententia hac quoque re videtur commendari, quod qui in Vesparum fabula prodeunt heliastae (vv. 230 sqq.) cum lucernis per noctem errantes, eadem temporis ratione habita Lenaeorum diebus brumalibus populum delectaverunt. Et accedit alia quoque causa. Legimus enim in versibus 408 sqq.:

μετὰ τοῦτον Εὐαίων ὁ δεξιώτατος
παρῆλθε γυμνός, ὡς ἐδόκει τοῖς πλείοσιν·
αὐτός γε μέντοὔφασκεν ἱμάτιον ἔχειν,
κἄπειτ' ἔλεξε δημοτικωτάτους λόγους·
ὁρᾶτε μέν με δεόμενον σωτηρίας
τετραστατήρου καὐτόν· ἀλλ' ὅμως ἐρῶ
ὡς τὴν πόλιν καὶ τοὺς πολίτας σώσετε.
ἢν γὰρ παρέχωσι τοῖς δεομένοις οἱ κναφῆς
χλαίνας, ἐπειδὰν πρῶτον ἥλιος τραπῇ,
πλευρῖτις ἂν ἡμῶν οὐδέν' ἂν λάβοι ποτέ.
ὅσοις δὲ κλίνη μή 'στι μηδὲ στρώματα,
ἰέναι καθευδήσοντας ἀπονενιμμένους
ἐς τῶν σκυλοδεψῶν.

Euaeo igitur, qui de palliis stragulisque egentibus gratis dandis vel assignandis rogationem ad populum tulisse fingitur, plerisque nudus prodire erat visus. Attamen *ἱμάτιον* perseverarat sese habere. Illi igitur non iisdem, sed crassioribus vestimentis amicti ad contionem venisse sunt putandi. *Χλαίνας* nimirum induerant, *παχέα ἱμάτια*[5]), quae Athenienses ad frigora facilius sustinenda iam exeunte aestate caute praeparabant[6]). Atque easdem *χλαίνας* feminae viris surripuerant, quo minus gelu nocturno laborarent. Cf. v. 507 *ῥιπτεῖτε χλαίνας* et vv. 539 sqq. Hiberno igitur tempore mu-

---

5) Cf. Polluc. 10.124: τὴν χλαῖναν δὲ οὕτως ἐκάλουν οἱ τῆς κωμῳδίας ποιηταὶ μόνα τὰ παχέα ἱμάτια. ταύτης τῆς προσηγορίας ἀξιοῦντες, ὥσπερ καὶ Θεόπομπος ἐν Εἰρήνῃ· χλαῖνάν σοι λαβὼν παχεῖαν ἐπιβαλῶ Λακωνικήν.

Hesych. s. v. χλαῖνα· [χλανὶς ἢ] ἱμάτιον χειμέρινον, ἀπὸ τοῦ χλιαίνειν, ὅ ἐστι θερμαίνειν.

Suid. s. v. χλαῖνα· τὸ παχὺ καὶ χειμερινὸν ἱμάτιον.

Cf. Aristoph. Ach. v. 845; Vesp. vv. 739, 1132; Av. vv. 493, 1090; Lysistr. vv. 586, 1156; Thesm. v. 142; Ran. v. 1459 et praeterea Kockii com. Attic. fragm. vol. I, p. 735. Denique vide Beckeri Charicl. vol. III, p. 230 et Hermanni antiquit. Graec. edit. tert. vol. IV, p. 177 adn. 2.

6) Av. vv. 712, 715; Eccles. v. 416.

lieres contionatae et rerum potitae finguntur, et hiberno tempore orationem pro domo habuisse narratur Euaeo. Narratur habuisse, non ipse est spectatus. Itaque fando modo spectatores eam rem audiverunt neque ipsius oratoris vocem miserabilem perceperunt auribus, neque oculis gestum omnibus artubus contremiscentis corpusque frigore attritum frustra refoventis. Quae res poetae ad populum delectandum summi sane erant momenti. Iam si eis posse careri spectatorumque rictus vel absente Euaeone motum iri Aristophanes confisus est, equidem crediderim eum tempore, quo fabula agebatur, adiutum ita fecisse. Nimirum qui ipsi frigoris appulsus sentiebant et *χλαίναις* obvoluti Lenaeorum die festo in cavea spectandi causa consederant, illorum animis oratoris nudi et *χλαίνας* petentis ipsa commemoratio ita admovit stimulos atque aculeos, ut cachinnos poetae optatos tollerent. Si vero acris hiems iam fuisset grata vice veris et Favoni soluta, vereor ne res iocosa spectatorum animos non movisset. Immo Dionysiis magnis non potuit esse non languida, nisi Euaeo ipse in scaenam prodibat et, cum peroraret coram spectatoribus, specie, gestu, voce eorum animis, ut percuterentur, inculcabat opinionem hiemis et miserias egentium.

Lenaeis igitur, quantum perspicere licet, ut Acharnenses[7]), Equites[8]), Vespas[9]), Amphiaraum[10]), Ranas[11]) Aristophanes Ecclesiazusas in scaenam induxit. Quo autem anno Athenienses ad eam fabulam spectandam ad theatrum commigraverint, ne de hac quidem re quidquam habemus compertum. Quamquam exstat ad v. 193 scholiastae cuiusdam adnotatio: *περὶ δὲ τοῦ συμμαχικοῦ Φιλόχορος ἱστορεῖ, ὅτι πρὸ δύο ἐτῶν ἐγένετο συμμαχία Λακεδαιμονίων καὶ Βοιωτῶν.* Quam adnotationem ad fabulae natalicia enucleanda primus in usum vocavit Petitus[12]), cum voce *Λακεδαιμονίων* in *Ἀθηναίων* commutata ea verba ad societatem illam referret, quam prae-

7) Cf. argum. ἐδιδάχθη ἐπὶ Εὐθυδήμου ἄρχοντος ἐν Ληναίοις διὰ Καλλιστράτου.

8) Cf. argum II. ἐδιδάχθη τὸ δρᾶμα ἐπὶ Στρατοκλέους ἄρχοντος δημοσίᾳ εἰς Λήναια.

9) Cf. argum. I. ἐδιδάχθη ἐπὶ ἄρχοντος Ἀμεινίου ..... εἰς Λήναια.

10) Cf. argum. II. Avium: ἐπὶ Χαβρίου τὸ δρᾶμα καθῆκεν εἰς ἄστυ διὰ Καλλιστράτου· εἰς δὲ Λήναια τὸν Ἀμφιάραον ἐδίδαξε διὰ Φιλωνίδου.

11) Cf. argum. I. ἐδιδάχθη ἐπὶ Καλλίου τοῦ μετὰ Ἀντιγένη διὰ Φιλωνίδου εἰς Λήναια.

12) Miscellan. lib. I, c. 15.

tore Diophanto Ol. 96, 2 Athenienses, Boeotos, Corinthios, Argivos contra Lacedaemonios inisse tradidit Diodorus [13]). Hac ratione Petitus sibi visus est evicisse Ecclesiazusas Ol. 96, 4, id est anno ante Christum natum 392, in scaenam commissas esse. Atque hanc computationem usque ad nostram aetatem nemo suscepit accuratius examinandam [14]), etsi iam Palmerius [15]) indicaverat vel Petiti emendatione approbata fabulae annum natalicium vix pro explorato haberi posse. Idemque iure statuerat, in Ecclesiazusis quia eidem fere homines atque in Pluto irridentur, illam fabulam non multo ante hanc videri actam esse [15]). Quam ad sententiam cum accessisset Morgensternius [16]) fabulam ratus „prodisse anno Ol. 97 primo aut secundo, certe autem circa Ol. 97", Boeckhius [17]) videtur Petito adstipulatus esse, verum ita, ut Ecclesiazusas ad Ol. 96 annum vel tertium vel quartum referri posse censeret, id est ad annos 393 vel 392 ante Chr. n. Neque id iniuria. Etenim si illa adnotatione utimur approbata Petiti coniectura „*Ἀθηναίων*" pro *Λακεδαιμονίων* substituentis, dubium esse non potest quin, priusquam ad Diodori testimonium confugiamus, de ea re sit audiendus Xenophon. Qui quidem inter Athenienses et Boeotos iam ante pugnam ad Haliartum commissam societatem factam esse tradidit [18]). Idemque Lysias testatur his verbis [19]): *πρῶτον μὲν γὰρ, ὅτε τὴν συμμαχίαν* [20]) *ἐποιήσασθε πρὸς τοὺς Βοιωτοὺς*

---

13) Lib. XIV, c. 82: Τοῦ δ' ἔτους τούτου διελήλυθότος Ἀθήνησι μὲν τὴν ἀρχὴν παρέλαβε Διόφαντος, ἐν Ῥώμῃ δ' ἀντὶ τῶν ὑπάτων ἓξ χιλίαρχοι τὴν ὑπατικὴν ἀρχὴν διῴκουν ..... τούτων δὲ τὴν ἀρχὴν παρειληφότων Βοιωτοὶ καὶ Ἀθηναῖοι, πρὸς δὲ τούτοις Κορίνθιοι καὶ Ἀργεῖοι, συμμαχίαν πρὸς ἀλλήλους ἐποιήσαντο.

14) Praeter illos viros doctos, quos Petito adstipulatos esse monuit Goetzius l. l. p. 1 adn. 2 nomino Schoellium (Histor. litter. Graec. vol. I, p. 283), Odofredum Muellerum (Histor. litter. Graec. vol. II, edit. tert. p. 231). Nunc quoque cum illo faciunt Curtius in histor. Graec. edit. quintae vol. III, p. 214, Droysenus l. l. p. 327, Blaydesius in fabulae edit. p. V.

15) l. l. p. 776; p. 777 ad v. 96; p. 780 ad v. 254; p. 781 ad v. 304; ib. ad v. 647; p. 784.

16) De Platonis re publica commentationes tres p. 78.

17) De oecon. publ. civit. Atheniensium vol. I, p. 642, cf. edition. tert. vol. I, p. 577.

18) Hellen. III. 5. 7 sqq. cf. III. 5. 16.

19) Orat. XVI. 13 sq.

20) Fragmentum illius populisciti aetatem tulit et a Koehlero publici iuris est factum in Hermae vol. V, p. 1. Cf. Corp. I. A. II. 6.

καὶ εἰς Ἁλίαρτον ἔδει βοηθεῖν, ὑπὸ Ὀρθοβούλου κατειλεγμένος ἱππεύειν, ἐπειδὴ πάντας ἑώρων τοῖς μὲν ἱππεύουσιν ἀσφάλειαν εἶναι δεῖν νομίζοντας, τοῖς δ' ὁπλίταις κίνδυνον ἡγουμένους, ἑτέρων ἀναβάντων ἐπὶ τοὺς ἵππους ἀδοκιμάστων παρὰ τὸν νόμον ἐγὼ προσελθὼν ἔφην τῷ Ὀρθοβούλῳ ἐξαλεῖφαί με ἐκ τοῦ καταλόγου, ἡγούμενος αἰσχρὸν εἶναι τοῦ πλήθους μέλλοντος κινδυνεύειν ἄδειαν ἐμαυτῷ παρασκευάσαντι στρατεύεσθαι. κτλ. De Philochoro autem non facile quisquam poterit dubitare, quin de his rebus idem docuerit, quod apud Xenophontem Lysiamque scriptum invenimus [21]) quodque praeterea memoriae prodiderunt et Plutarchus [22]) et Pausanias [23]). Et prae his auctoribus quae fides potuit Siculi scriptoris esse, quod Boeotorum cum Atheniensibus societatem demum post pugnam Haliartiam commemoravit? Iam, credo, satis est manifestum Petiti computationem non ita firmo fundamento esse innixam, ut omnibus fere inniti visa est, neque temere censuisse Boeckhium Ecclesiazusas non necessario cum Petito ad Ol. 96 annum quartum referendas esse, sed eodem iure iam antecedenti posse attribui.

Quid? quod ne Diodori quidem auctoritate, si rem ad vivum resecamus, Petitus iure usus est ad sententiam suam comprobandam? Etenim cum paulo ante verba supra laudata apud illum habeas haec: *Βοιωτοὶ δὲ πείσαντες Ἀθη-*

---

21) Vide Boeckhii de Philochoro iudicium in dissertatione de Atthidis Philochoreae descriptione composita. Cf. script. minor. vol. V, p. 399 sq.

22) Vita Lysandri c. XXVIII: Οἱ δὲ (scl. οἱ Θηβαῖοι) προσβεβοηθηκότων αὐτοῖς Ἀθηναίων, τὴν μὲν πόλιν ἐκείνοις διεπίστευσαν, αὐτοὶ δὲ περὶ πρῶτον ὕπνον ἐξορμήσαντες ἔφθασαν ὀλίγῳ τὸν Λύσανδρον ἐν Ἁλιάρτῳ γενόμενοι καὶ μέρει τινὶ παρῆλθον εἰς τὴν πόλιν.

Ibid. c. XXIX: Τῷ δὲ Παυσανίᾳ τὸ πάθος ἀγγέλλεται καθ' ὁδὸν ἐκ Πλαταιῶν εἰς Θεσπιὰς πορευομένῳ· καὶ συνταξάμενος ἧκε πρὸς τὸν Ἁλίαρτον. Ἧκε δὲ καὶ Θρασύβουλος ἐκ Θηβῶν ἄγων τοὺς Ἀθηναίους.

23) Lib. III. 5. 3. Λύσανδρος ..... ἔς τε Βοιωτίαν ἐλήλυθε καὶ προσβολὰς ἐποιεῖτο ἐς τὸ Ἁλιαρτίων τεῖχος οὐκ ἐθελόντων ἀπὸ Θηβαίων ἀφίστασθαι. ἐσεληλύθεσαν δὲ ἤδη καὶ Θηβαίων καὶ Ἀθηναίων τινὲς κρύφα ἐς τὴν πόλιν, ὧν ἐπεξελθόντων καὶ πρὸ τοῦ τείχους ταξαμένων ἄλλοι τε ἐνταῦθα Λακεδαιμονίων καὶ Λύσανδρος ἔπεσεν.

Lib. IX. 32. 5. Ἐν Ἁλιάρτῳ δέ ἐστι Λυσάνδρου τοῦ Λακεδαιμονίου μνῆμα· προσβαλὼν γὰρ τῶν Ἁλιαρτίων πρὸς τὸ τεῖχος στρατιᾶς ἔκ τε Θηβῶν ἐνούσης ἔνδον καὶ ἐξ Ἀθηνῶν, καὶ ἐπεξελθόντων τῶν πολεμίων ἔπεσεν ἐν τῇ μάχῃ.

Vide praeterea Trogi Pompei sententiam, quae est in Iustini epit. lib. VI c. 4: Primi igitur Thebani Atheniensibus auxiliantibus bellum his (scl. Lacedaemoniis) intulere.

ναίους συνεπιλαβέσθαι τοῦ πολέμου, τότε μὲν καθ' αὑτοὺς ὥρμησαν, καὶ κατέλαβον Ἁλίαρτον ὑπὸ Λυσάνδρου καὶ Φωκέων πολιορκουμένην [24]), satis profecto eo loco indicatum est Boeotorum legatos iam ante pugnam Haliartiam ab Atheniensibus petisse auxilia neque petisse frustra. *Συμμαχία* nimirum iam tum est facta et res, quas confudit Diodorus, cum de bello Corinthiaco verba facturus Athenienses eodem tempore, quo Argivos et Corinthios, societatem cum Boeotis inisse scriberet (XIV, 82), re vera sese habuerunt ita, ut Boeotos inter et Athenienses iam ante pugnam foedus fieret, Corinthii autem et Argivi post Lysandri cladem atque mortem adsciscerentur [25]). Quod ita fuisse ex Xenophonte nobis licet perspicere. Qui quidem Boeotorum legatos Atheniensium fidem et praesidium iam facit implorantes, cum Lysandrum et Pausaniam exercitus promovere cognovissent. Neque veri simile videtur eum memoria lapsum rerum ordinem et rationem commutasse. Nam Atheniensium societas facta cum hostibus ad illud tempus infensissimis sane erat consilium ad tempora, quae sunt secuta, gravissimum ideoque omnibus notissimum [25 a]). Ac ne Xenophontem quidem illi populiscito parum tribuisse ea re satis est manifestum, quod, etsi in illis rebus enarrandis summa brevitate utitur, tamen Boeotorum orationem sibi affingendam esse censuit (cf. III. 5. 8 sqq.). Quamquam *συμμαχίας* nomen, quo utitur Diodorus XIV, 82, ab illo non admissum est. Quid fuerit causae, cur verbum *βοηθεῖν* posuerit, cum post Boeotorum orationem pergat in hunc modum: *τῶν δ' Ἀθηναίων πάμπολλοι μὲν συνηγόρευον, πάντες δ' ἐψηφίσαντο βοηθεῖν αὐτοῖς* (III. 5. 16) mihi non liquet. Fortasse ideo est factum, quia idem adhibuerat in legatorum oratione. Fortasse sine ullo consilio usurpatum est. Sed utut haec res se habet, de iusta societate, quin tum sit facta, eam ob causam non licet dubitare. Etenim a Lysia l. l. illa pactio, quae ante pugnam ad Haliartum commissam facta erat, aperte *συμμαχία* nuncu-

---

24) Lib. XIV c. 81.

25) Recte hanc rem enarravit Curtius l. l. p. 170 sq., p. 175. Improbandae videntur aliorum sententiae ut Sieversii in historia Graeciae inde ab exitu belli Peloponnesiaci p. 63, p. 65, Grotii in historia Graeciae version. vernac. edit. prior. vol. V, p. 234, p. 241, Hertzbergii in historia Graeciae et Romae vol. I, p. 384 sq.

25 a) Cf. Grotium l. l. p. 232.

pata est, neque a Xenophonte amicitiae post victoriam firmius coniunctae ulla fit mentio.

Iam de Argivorum Corinthiorumque foedere ne verbo quidem egit Xenophon. Nimirum postquam Athenienses et Boeotos consilia communicasse enarravit, illa sociorum incrementa quasi ultro esse facta eamque ob causam pede sicco putavit sibi transeunda esse. Hoc tamen in Boeotorum oratione plane indicavit eos tum, cum Athenienses tentabantur, Lacedaemoniis nondum bellum indixisse. Legimus enim l. l. III. 5. 11 sq. *τίς γὰρ ἤδη καταλείπεται αὐτοῖς εὐμενής; οὐκ Ἀργεῖοι μὲν ἀεί ποτε δυσμενεῖς αὐτοῖς ὑπάρχουσιν; ..... Κορινθίους δὲ καὶ Ἀρκάδας καὶ Ἀχαιοὺς τί φῶμεν, οἳ ἐν μὲν τῷ πρὸς ὑμᾶς πολέμῳ μάλα λιπαρούμενοι ὑπ' ἐκείνων πάντων καὶ πόνων καὶ κινδύνων καὶ τῶν δαπανημάτων μετεῖχον, ἐπεὶ δ' ἔπραξαν ἃ ἐβούλοντο οἱ Λακεδαιμόνιοι, ποίας ἢ ἀρχῆς ἢ τιμῆς ἢ ποίων χρημάτων μεταδεδώκασιν αὐτοῖς;* Atque Corinthios iam belli initio abalienatos a Lacedaemoniis communicasse consilia cum Argivis, qui sempiternas cum illis gerebant inimicitias, his verbis confirmatur: *ἀλλὰ Παυσανίας μὲν ὁ βασιλεὺς ἐπορεύετο εἰς τὴν Βοιωτίαν τό τε οἴκοθεν ἔχων στράτευμα καὶ τὸ ἐκ Πελοποννήσου, πλὴν Κορίνθιοι οὐκ ἠκολούθουν αὐτοῖς* (l. l. III. 5. 17). Quid igitur est veri similius quam illos Lysandri calamitate nuntiata aperte cum Argivis Boeotorum causam suscepisse? Commemorantur in illorum sociis primum ante pugnam, quae anno 394 ad Nemeam est commissa l. l. IV. 2. 17. Videntur tamen iam aliquanto antea — fortasse statim post pugnam Haliartiam factum est — et Corinthii et Argivi Lacedaemoniorum cum hostibus se coniunxisse. Etenim vere [26]) anni 394 ad Agesilaum regem in Asiam iam erat allatus nuntius *τὰς μεγίστας πόλεις συνεστηκυίας ἐπὶ πολέμῳ πρὸς τοὺς Λακεδαιμονίους* (cf. Xen. l. l. IV. 2. 1; Diod. XIV, 83).

Verum ut redeamus ad Philochorum, ne in hac quidem re a Xenophonte eum recessisse iudicandum est. Et de contione ipsa Atheniensium, qua foedus et amicitiam cum hostibus fecerunt, si fusius dicendum illi non est visum, tamen eum Atheniensium cum Boeotis societatem seiunctam ab Argivorum Corinthiorumque enarrasse equidem persuasum habeo. Et hac ratione potest explicari, quod apud scholiastam, ut statuimus, fuit scriptum: *Φιλόχορος ἱστορεῖ ὅτι πρὸ δύο ἐτῶν*

---

26) Cf. Xen. l. l. IV 1. 41: σχεδὸν δὲ καὶ ἔαρ ἤδη ὑπέφαινεν.

ἐγένετο συμμαχία Ἀθηναίων καὶ Βοιωτῶν, ceterorum sociorum, quos enumerat Diodorus (XIV, 82), nulla mentione iniecta.

Quibus expositis si iam de anno quaerimus, quo Boeoti legatos de auxilio Athenas misisse sint putandi, Diodorus et illam legationem et victoriam paulo post ad Haliartum reportatam inter ea refert, quae sunt gesta praetore Phormione Ol. 96, 1 (cf. XIV, 81). Eodem igitur magistratu, ut vidimus, etiam societas inita est putanda. Quamquam exstat praeterea locus quidam Plutarcheus, qui ad annum certum enucleandum aliquam ansam praebere videatur. Legimus enim in vita Lysandri c. XXIX: *Λέγεται δὲ καὶ Θηβαίοις ὑπὸ τὸν Πελοποννησιακὸν πόλεμον ἐν Ἰσμηνίῳ γενέσθαι χρησμὸν ἅμα τήν τε πρὸς Δηλίῳ μάχην καὶ τὴν πρὸς Ἁλιάρτῳ ταύτην ἐκείνης ὕστερον ἔτει τριακοστῷ γενομένην προμηνύοντα.*

Quo loco deducimur ad eiusdem Olympiadis annum secundum. Verum satis constat inter omnes vitarum parallelarum auctorem non ita magna fide dignum esse. Itaque per se licet dubitare, num hac in re veram rationem memoriae prodiderit. Praeterea autem locus ille propter oraculi commemorationem ita est comparatus, ut auctor eius rei magis solidum annorum numerum, quam sinceram veritatem spectavisse videatur[27]). Diodorum igitur censeo esse sequendum, cuius narrationem ex ipso Ephoro repetitam esse admodum est veri simile[28]).

Itaque paulo confidentius agunt, qui proelium Haliartium autumno demum anni a. Chr. n. 395 commissum esse contendunt[29]). Immo plane nulla est causa, cur et pugnamillam et quae paulo ante inita est, Atheniensium Boeotorumque societatem ad praetoris Phormionis magistratum Ol. 96, 1, i. e. ad aestatem anni a. Chr. n. 395 non referamus[30]).

---

27) Vide Hirzelii dissertationem, quae inscribitur: Ueber Rundzahlen, in Act. societ. litter. Reg. Saxon. anni 1885, p. 1 sqq.

28) Cf. Volquardseni libellum de Diodori librorum XI—XVI fontibus compositum p. 51 sqq.

29) Cf. Frohbergeri disputationem de Thrasybulo Stiriensi conscriptam in Philologi vol. XVII p. 437 sq., Curtium l. l. p. 171.

30) Idem video iam censuisse Fuhrium in Animadversionibus in oratores Atticos p. 7 sqq., cf. p. 16 adn. 1, et praeterea Belochium l. l. p. 348, ubi leguntur haec: Die Boeotier hatten schon vier Jahre, also die Sommer 395, 394, 393, 392 mit Sparta Krieg geführt. Itemque Blassius in altera editione historiae eloquentiae Attic. vol. I, p. 294 ad Fuhrii sententiam accessit. Aliam ipse tulerat in priore editione vol. I, p. 663. — Fallitur tamen Busoltius, quod Boeo-

Quae cum ita sint, non iure sane a Petito aliisque statutum est Philochorum *συμμαχίαν* illam in anno Diophanteo (Ol. 96, 2) posuisse. Videtur potius, quantum nobis licet iudicare, eam rettulisse ad praetorem Phormionem (Ol. 96, 1). Nam eum Atthidem composuisse ex consuetudine annalium, ut quas res gestas enarravit, secundum praetorum magistratus disponeret, recte observavit Boeckhius [31]). Itaque nobis, si cum eis, quae comprobavimus de foederis tempore, scholiastae adnotationem [32]) coniungimus, non iam ut Boeckhio ambigendum, sed aperte profitendum est a Petito quique eum sunt secuti, emendatione illa probata neque ulla praeterea mutatione in scholio admissa propter Diodorum Ecclesiazusarum fabulam non ad quartum, sed ad tertium annum Ol. 96 referri debuisse.

Verum iam de utroque anno actum est, postquam Goetzius a Palmerii suspicionibus profectus luculenter demonstravit eum statum rerum Atheniensium, quam ex Ecclesiazusis cognoscimus, cum illo tempore non congruere, sed aliquem annum subsequentis olympiadis indicare fabulae esse natalicium. Atque hac quidem in re cum illo omnes ad unum consentiunt, qui eam quaestionem postea tractaverunt [33]). Sed quod demonstrare studuit eum annum esse Ol. 97,3, ea

torum legatos iam autumno anni a. Chr. n. 396 Athenas venisse sibi persuasit. Cf. Annal. philol. vol. suppl. VII, p. 667. Nam inter foedus initum et Lacedaemoniorum cladem non tam multum temporis interfuisse, aperte testatur Xenophon his verbis: οἱ μὲν δὴ Θηβαῖοι ἀπελθόντες παρεσκευάζοντο ὡς ἀμυνούμενοι, οἱ δ' Ἀθηναῖοι ὡς βοηθήσοντες· καὶ μὴν οἱ Λακεδαιμόνιοι οὐκέτι ἔμελλον, ἀλλὰ Παυσανίας μὲν ὁ βασιλεὺς ἐπορεύετο εἰς τὴν Βοιωτίαν ..... ὁ δὲ Λύσανδρος, ἄγων τὸ ἀπὸ Φωκέων καὶ Ὀρχομενοῦ καὶ τῶν κατ' ἐκεῖνα χωρίων στράτευμα, ἔφθη τὸν Παυσανίαν ἐν τῷ Ἁλιάρτῳ γενόμενος. l. l. III. 5. 17.

31) Script. minor. vol. V, p. 403.

32) Ecclesiazusarum didascaliam ab ipso Philochoro cum societatis illius anno coniunctam esse, ut voluit Bodius in histor. poes. dramat. Graec. vol. III part. alter. p. 361 adn. 4, hanc sententiam Goetzius iure in dubitationem vocavit, cf. l. l. p. 4 sq. Exstant sat multi loci, quibus evincitur scholiastam ipsum ea, quae apud Philochorum aliosve scriptores secundum praetorum annos disposita invenerat, ad fabularum didascalias, quae ipsi erant notae, rettulisse. Vide Goetzii additamenta in Act. societ. philol. Lips. tom VI, p. 343 sq. Praeter locos, quos ille attulit in dissertatione p. 4 sq., cf. schol. ad Vesp. vv. 240, 718; ad Pac. v. 605; ad. Lys. v. 1094; ad Ran. v. 720.

33) Velsenus l. l. p 393; Ribbeckius l. l. p. 451; Steinius l. l. p. 4; Belochius l. l. p. 357; Fraenkelius in adnot. 424 ad Boeckhii librum de oecon. publ civit. Atheniensium tertium editum (cf. append. ad vol. II, p. 65); Christius l. l. p. 230.

res Goetzio non ita bene cessit. Oblocutus est Velsenus neque iniuria, ut mihi quidem videtur. Facili enim negotio illius argumenta ita refutavit et infregit, ut quae illis innitebatur sententia, meo quidem iudicio propter Velsenum non iam possit stare. Atque cum Goetzius a scholio illo esset profectus, ut ei Aristophanis ipsius verba libero neque praeoccupato iudicio interpretari non liceret, ille scholiastae testimonio iure posthabito, ne dicam plane omisso, id egit, ut excussa ipsa fabula annum natalem indagaret. Itaque repperit eiusdem olympiadis annum secundum, i. e. vernum tempus anni a. Chr. n. 390. Defendit suam sententiam Goetzius hoc imprimis usus argumento: Velsenum ne periculum quidem fecisse, quomodo scholiastae satisfaceret, sed eum plane neglexisse[34]). Ipse enim, cum et Ol. 96,4 et Ol. 97,3 Demostratos praeturam egisse invenisset, in dissertatione hanc sententiam protulerat: scholii auctorem apud Philochorum vidisse Atheniensium Boeotorumque foedus in anno Diophanteo (Ol. 96,2) positum. Ecclesiazusas autem cum non ignoraret esse actam praetore Demostrato, cogitasse eum falso de priore magistratu, cui hoc erat nomen. Itaque esse factum ut scriberet: *Φιλόχορος ἱστορεῖ ὅτι πρὸ δύο ἐτῶν ἐγένετο συμμαχία Ἀθηναίων καὶ Βοιωτῶν*, cum, si fabulam recte rettulisset ad Demostratum alterum, ei fuisset adnotandum *πρὸ πέντε ἐτῶν*.

Speciosa profecto coniectura et subtiliter excogitata! Verum tamen nihil est amplius nisi coniectura. Hoc illis fuit tenendum, qui eam ita habuerunt in deliciis, ut quae argumenta ex ipsa fabula erant derivata, propter illam mallent neglecta. Attamen si via et ratione progredimur, concedendum est Goetzii coniecturam, quia a scholiastae adnotatione est profecta, per se nimis infirmo in fundamento fuisse exstructam. Nam scholion uno certe mendo vitiatum esse, nimirum eo, quod sustulit Petitus, ipse quoque persuasum habuit Goetzius. Et hoc vestigio nonne iure terrearis, ne cetera confidas fraude carere, praesertim cum omnes fere numeri, qui in libris inveniuntur litterarum notis indicati, per temporum decursum magis minusve labem traxerint? Immo, quod Tchorzewskius[35]), qui iam ante Goetzium Petiti com-

---

34) Act. societ. philol. Lips. tom. VI, p. 340 sqq.
35) Cf. Opuscula postuma ed. Struvius Casani a. 1856, p. 116 sqq.

putationem non veram esse pro comperto habuit, etiam in voce *δύο* mendum latere est suspicatus idque inde censuit esse ortum, quod litterula *δ'*, quae erat nota numeri quaternarii, a librario quodam imprudenti commutaretur in *δύο*, mihi quidem non modo non violentius, sed cautius videtur Goetzio egisse, qui traditam lectionem ne in suspicionem quidem vocavit. Verum ille quoque annum tertium Ol. 97 Ecclesiazusarum natalicium comprobare studuit. Annos enim et Diophanti, in quo Petitum secutus Atheniensium Boeotorumque societatem posuit, et Demostrati, ad quem fabulam nostram voluit relatam, a scholiasta non in censum vocatos esse arbitratus est. Atque haec ratio, quam Goetzius ut nimis artificiosam respuit[36]), profecto in scholiis interdum est adhibita. Legimus enim, ut exemplum afferam, apud scholiastam ad Vesp. v. 240: *στρατηγῆσαι δὲ αὐτόν* (scl. *τὸν Λάχητα*) *φησι Δημήτριος ἐπὶ ἄρχοντος Εὐκλέους πρὸ τριῶν ἐτῶν εἰς Σικελίαν πεμφθέντα μετὰ νεῶν Λεοντίνοις βοηθήσοντα.* Iam Eucles egit praeturam Ol. 88,2, Vespae est acta praetore Aminia Ol. 89,2[37]). Vides igitur huius quoque adnotationis auctorem tantum Euthyni, Stratoclis, Isarchi magistratus respexisse, qui inter Euclis et Aminiae sunt medii interpositi. Quamquam ille locus non invenitur in codice Ravennate, in quo is, de quo agimus, perscriptus legitur[38]). Sed nihil id refert. Nam ille ipse scholiasta, qui nos tenet occupatos, quam sit computandi consuetudinem secutus, non licet nobis statuere[39]). Itaque satis habeo evicisse eam rationem, quam posuerat Tchorzewskius, re vera non esse ita artificiosam,

36) Act. soc. philol. Lips. tom. VI, p. 341.

37) Cf. adn. 9.

38) Cf. in studior. Vindobonens. vol. IV, p. 1 sqq. Holzingeri disquisitionem, quae inscribitur: Beiträge zur Kenntnis der Ravennasscholien zu Aristophanes, et libellum Alberti Martin, cuius est titulus: Les scolies du manuscrit d'Aristophane à Ravenne. Parisiis a. 1882.

39) Scholia codicis Ravennatis non ab uno eodemque auctore esse composita satis constat. Verum quid unicuique illorum, qui adnotarunt, debeatur, iam discerni nequit, cum liber archetypus aetatem non tulerit. Cf. Zacheri disputationem, quae est in Annal. philol. vol. supplem. XVI, p. 505 sqq. cf. p. 529 sqq., p. 534 sqq. Alium autem aliam rationem adhibuisse hoc uno exemplo liceat comprobare. Ad. Lys. v. 1094 scholiasta Ravennas adnotavit haec: Παρόσον οἱ Ἑρμοκοπίδαι ἠκρωτηρίασαν τοὺς Ἑρμᾶς, ὅτε ἐπὶ Σικελίας ἔμελλον πλεῖν — et nescio quis alius: πρὸ ἐτῶν τεσσάρων τῆς καταθέσεως τούτου τοῦ δράματος. Iam Mercurii statuae sunt mutilatae praetore Arimnesto Ol. 91, 1, (cf. Isaei orat. VI § 14, Thucyd. lib. VI c. 27 sqq.), Lysistrata in scaenam commissa

ut visa est Goetzio. Verum tamen eodem laborat vitio atque Goetziana, quod profecta est a Petiti sententia Philochorum Atheniensium Boeotorumque societatem sine ulla dubitatione in anno Diophanti praetoris Ol. 96,2 posuisse. Quam opinionem non habere, quo innitatur, cum supra demonstraverim, Tchorzewskii computatio non potest non corruere. Etenim inter Phormionis et Demostrati alterius magistratus quinque praetorum integri anni fuerunt medii interiecti. Ac ne Goetzii quidem coniectura iam potest ex ipsius sententia probari. Nam scholiastae, si re vera duos Demostratos inter se confudisset, inde a Phormionis praetura Ol. 96,1 usque ad prioris Demostrati magistratum Ol. 96,4 tres anni fuerunt numerandi. Itaque Goetzio ad sententiam suam sustentandam iam nihil relinquitur nisi ut Tchorzewskium eiusque rationem „nimis artificiosam" secutus nobis persuadeat scholiastam eos tantum praetores respexisse, qui inter Phormionem et Demostratum priorem magistratu sunt defuncti. Quid multa? Iam satis, credo, elucet ex scholiastae testimonio nil certi posse effici et de Goetzii coniectura idem esse iudicandum, quod visum est Velseno: es ist das sehr wohl möglich, allein der natur der sache nach sind auch andere möglichkeiten denkbar, cf. l. l. p. 393.

Quae cum ita sint, plane nulla est causa, cur Ol. 97 annum tertium retineamus. Etenim quas Aristophanis ipsius facetias ad coniecturam illam stabiliendam in usum suum et sententiam converterat Goetzius, eas vel esse parum recte intellectas vel per se obscuriores, quam ut certam interpretationem admittant, recte, ut supra dictum est, observavit iam Velsenus. Itaque denuo nobis in hanc rem est inquirendum, si forte quid certi effici posse videatur. Atque statuimus Goetzium recte demonstrasse fabulam non Ol. 96,4, ut voluerat Petitus, esse actam, sed non recte eum fecisse, quod ad Ol. 97 annum tertium eam rettulit. Itaque cum post hunc annum non possit acta esse, quia ante Pluti didascaliam Ol. 97,4 in scaenam est commissa, aut primo aut secundo anno Ol. 97 i. e. annis a. Chr. n. aut 391 aut 390 eam spectatam esse oportet. Hoc pro certo possumus ponere. Minus autem certa esse ea, quae ad certum annum ex his duobus comprobandum

praetore Callia Ol. 92, 1 (cf. argum. I). Hac igitur in computatione Calliae annus non ut in illa, quam supra attuli, neglectus, sed merito in censum est vocatus.

dicturus sum, libere profiteor. Atque proficiscendum esse puto a v. 202, ubi est:

σωτηρία παρέκυψεν, ἀλλ' ὁρίζεται
Θρασύβουλος αὐτὸς οὐχὶ παρακαλούμενος.

Quae verba consuerunt ad expeditionem illam referri, quam ad Rhodiensium auxilium exornatam Thrasybulus ex ipsius arbitrio ad Thraciam direxit neglecta voluntate civium [40]). Audiendus est de ea re Xenophon, qui l. l. IV. 8. 25 tradit haec: *Οἱ δ' Ἀθηναῖοι νομίσαντες τοὺς Λακεδαιμονίους πάλιν δύναμιν κατασκευάζεσθαι ἐν τῇ θαλάττῃ, ἀντεκπέμπουσι Θρασύβουλον τὸν Στειριέα σὺν τετταράκοντα ναυσίν. ὁ δ' ἐκπλεύσας τῆς μὲν εἰς Ῥόδον βοηθείας ἐπέσχε, νομίζων οὔτ' ἂν αὐτὸς ῥαδίως τιμωρήσασθαι τοὺς φίλους τῶν Λακεδαιμονίων..... εἰς δὲ τὸν Ἑλλήσποντον πλεύσας καὶ οὐδενὸς ἀντιπάλου παρόντος ἐνόμισε καταπρᾶξαι ἄν τι τῇ πόλει ἀγαθόν.* Cf. Diodorum l. l. c. 94, c. 97, c. 99. Neque tamen illa sententia mihi quidem magis probatur quam Brunckii illius, qua isti versus Cimmeriis tenebris involuti sunt putandi. Etenim quoniam antecedunt haec verba:

ναῦς δεῖ καθέλκειν· τῷ πένητι μὲν δοκεῖ,
τοῖς πλουσίοις δὲ καὶ γεωργοῖς οὐ δοκεῖ.
Κορινθίοις ἤχθεσθε, κἀκεῖνοί γέ σοι·
νῦν εἰσὶ χρηστοί, καὶ σὺ νῦν χρηστὸς γενοῦ.
Ἀργεῖος ἀμαθής, ἀλλ' Ἱερώνυμος σοφός·

— profecto, ut caute dicam, admodum dubium est, num Thrasybulus cum classe eo tempore, quo fabula agebatur, Athenis iam profectus fuerit. Qui, si iam quadraginta illae naves, quibus est praepositus, fuissent deductae et exornatae, poeta potuit dicere: *ναῦς δεῖ καθέλκειν*? Numne post illam classem altera est missa, ad quam instruendam ea verba apte referantur? Et pro Atheniensium, quae tum erant, facultatibus opibusque num cuiquam videtur veri simile eos tantis copiis navalibus coactis, quantas inde ab urbe a Lacedaemoniis capta comparare non licuerat, cogitasse de aliis deducendis? Mihi quidem illas ipsas non videntur conquisivisse nisi summa omnium virium contentione facta nec voluisse nec potuisse novas adornare. Quantam enim ad pecuniae inopiam Athenienses eo tempore fuerint

---

40) Vide Droysenum l. l. p. 338 adn. 4; Goetzium l. l. p. 12, p. 31; Schneiderum in Philol. vol. XXXIV, p. 434. Dubius haesit Glypheus l. l. p. 21 sq.

delapsi, satis habemus ex Lysiae orationibus compertum. Commemoro illam, quae aequalis fere fabulae nostrae de Aristophanis re familiari est habita. Ubi aperte leguntur haec: *χαλεπὸν μὲν οὖν, ὦ ἄνδρες δικασταί, ἀπολογεῖσθαι πρὸς δόξαν ἣν ἔνιοι ἔχουσι περὶ τῆς Νικοφήμου οὐσίας, καὶ σπάνιν ἀργυρίου ἣ νῦν ἐστιν ἐν τῇ πόλει, καὶ τοῦ ἀγῶνος πρὸς τὸ δημόσιον ὄντος·* (cf. orat. XIX, 11). Iam ad tantas angustias cives erant redacti, ut aegre pensitarent tributum. Cuius rei eundem Lysiam habemus testem in orationibus illis contra Ergoclem et Philocratem eodem fere tempore conscriptis. Cf. orat. XXVIII, 3: *καὶ γὰρ δὴ δεινὸν ἂν εἴη, εἰ νῦν μὲν οὕτως αὐτοὶ πιεζόμενοι ταῖς εἰσφοραῖς συγγνώμην τοῖς κλέπτουσι καὶ τοῖς δωροδοκοῦσιν ἔχοιτε, ἐν δὲ τῷ τέως χρόνῳ, καὶ τῶν οἴκων τῶν ὑμετέρων μεγάλων ὄντων καὶ τῶν δημοσίων προσόδων μεγάλων οὐσῶν, θανάτῳ ἐκολάζετε τοὺς τῶν ὑμετέρων ἐπιθυμοῦντας,* et orat. XXIX. 9: *καὶ γὰρ δὴ δεινὸν ἂν εἴη, ὦ ἄνδρες δικασταί, εἰ τοῖς μὲν μὴ δυναμένοις τὰ σφέτερ' αὐτῶν εἰς φέρειν ὀργίζοισθε καὶ τὰς οὐσίας αὐτῶν ὡς ἀδικούντων δημεύοιτε, τοὺς δὲ τὰ ὑμέτερα αὐτῶν ἔχοντας μὴ τιμωροῖσθε.* Vide praeterea orationem paucis annis ante contra Nicomachum habitam, ubi est: *παρ' ἕκαστον δὲ τὸν ἐνιαυτὸν ἐπεχείρησε ἐξ ταλάντοις τὴν πόλιν ζημιῶσαι, καὶ ταῦτα ὁρῶν αὐτὴν ἀποροῦσαν χρημάτων καὶ Λακεδαιμονίους μὲν ἀπειλοῦντας, ὅταν μὴ ἀποπέμψωμεν αὐτοῖς τὰ χρήματα, Βοιωτοὺς δὲ σύλας ποιουμένους, ὅτι οὐ δυνάμεθα δύο τάλαντα ἀποδοῦναι, τοὺς δὲ νεωσοίκους καὶ τὰ τείχη περικαταρρέοντα, εἰδὼς δὲ ὅτι ἡ βουλὴ ἡ βουλεύουσα, ὅταν μὲν ἔχῃ ἱκανὰ χρήματα εἰς διοίκησιν, οὐδὲν ἐξαμαρτάνει, ὅταν δὲ εἰς ἀπορίαν καταστῇ, ἀναγκάζεται εἰσαγγελίας δέχεσθαι καὶ δημεύειν τὰ τῶν πολιτῶν καὶ τῶν ῥητόρων τοῖς τὰ πονηρότατα λέγουσι πείθεσθαι* (orat. XXX, 22).

Sed quid pluribus opus est, quoniam ex nostra fabula ipsa Atheniensium difficultates domesticas optime cognoscimus? Namque totius comoediae sub uno conspectu positae consilium si spectamus neque exercemus cavillationes de uno alterove praecepto de medio abrupto, qua de re agitur nisi de salute rei publicae pristinisque divitiis restituendis? Videmus summam imperii deferri ad mulieres, et quam ob causam ad ipsas mulieres? Ni fallor, quia in civitate Atheniensium res erat eo deducta, ut virorum viribus res publica vix videretur e malis emergere posse. Qui iam praecipites ferebantur amentia modo hanc modo illam rationem in con-

tionibus collaudantes, cf. vv. 790 sqq., vv. 812 sqq. Et omnes cum clamarent: O cives, cives, quaerenda pecunia primum est, virtus post nummos! atque nullam rationem haberent salutis publicae, *τὸ κοινὸν ὥσπερ Αἴσιμος ἐκυλίνδετο*, cf. vv. 206 sqq. Neque quisquam erat orator, qui multitudinis furorem gravitate coerceret, moderaretur levitatem et credulitatem consilio et prudentia, castigaret denique amentiam morumque perversitatem. Quicunque accedebant ad rem publicam, ut erant maiorum auctoritate et virtute derelicti[41]), blanditiis et largitionibus velut Agyrrhius[42]) ille mercede ecclesiastica plebeculae gratiam in sese convertebant. Neque tamen illi salutem ipsam patriae susceperunt tuendam, etsi aliquamdiu sunt visi boni atque frugi esse, sed suae inservierunt ambitioni et superbiae, ne dicam pecuniae cupiditati. Ac ne Thrasybuli quidem innocentia et morum integritas est iniuria in dubitationem vocata, id quod mihi Frohberger videtur recte statuisse[43]). Itaque ad illum quoque fortasse pertinent, quae legimus vv. 176 sqq.:

κἂν τις ἡμέραν μίαν
χρηστὸς γένηται, δέκα πονηρὸς γίγνεται·
ἐπέτρεψας ἑτέρῳ· πλείον' ἔτι δράσει κακά.

Et si complectimur animis, quae de illis temporibus a rerum scriptoribus, oratoribus, poetis habemus tradita, quid consilii Aristophanes in Ecclesiazusis conscribendis sit secutus, facile sane intellegemus. Praecipitur igitur, ut bona omnia sint omnium communia. Desperavit nimirum poeta a variis illis sceleribus, quae ut periuria, furta, faenerationes, fraudes propter pecuniam videbat passim admissa, improbos ac deperditos iam revocari posse. Itaque, ut tandem aliquando fieret finis iniuriarum atque malorum, quae inde exorta ut lites, pignoris capiones, publicationes, exsilium, supplicium civitatem tenebant exagitatam, fabulae auctor non sine summa acerbitate degenerantes adhortatur, ut causa et semine avaritiae atque calamitatis radicitus sublato reducerentur ad virtutem, quia ipsi non possent redire.

---

41) Cf. Platonis comici apud Kockium fragmentum 186: ἢν γὰρ ἀποθάνῃ εἷς τις πονηρός, δύ' ἀνέφυσαν ῥήτορες· οὐδεὶς γὰρ ἡμῖν Ἰόλεως ἐν τῇ πόλει, ὅστις ἐπικαύσει τὰς κεφαλὰς τῶν ῥητόρων. κεκολλόπευκας· τοιγαροῦν ῥήτωρ ἔσει.

42) Cf. vv. 183 sqq., vv. 96 sqq. et Wuerzium l. l. p. 17 sqq., p. 29 sqq.

43) Cf. l. l. p. 446.

Neque aliter sese habent, quae de mulierum quoque communi usu comicus censorius cavillatur.

Summo enim iure Aristophanes propter stupra et adulteria ultra fidem nefarie admissa [44]) gravissime in Athenienses est invectus. Unde quae quantaque mala putas enata esse? Neque tamen ad sanitatem reditus factus est. Itaque in tanta mollitia ac nequitia hanc unam dixit rei publicae salutem et remedium relinqui, ut nullam sperarent salutem, sed omnes ad unum hominum condicione deposita ad bestiarum consuetudinem et felicitatem reverterentur. Et tamen maiores nostri — hoc nimirum innuit poeta iam pridem *ὀνομαστὶ καὶ προφανῶς σκώπτειν* vetitus — laudibus Cecropem illum extulerunt, quod communi usu mulierum sublato iusta condidit matrimonia [45]). Nos vero eo sumus prolapsi vel potius relapsi, ut in eadem vitae condicione rursus collocandi simus, qua hac in urbe homines ante Cecropem usi sunt quamque nondum plane deposuerunt illi, qui Lycurgi legibus sunt constricti [46]).

Nihil igitur rei est Aristophani cum Platone eiusque notissimis de re publica constituenda praeceptis. Recte potius se habent ea, quae a Stallbaumio [47]), Zellero [48]) aliis de

---

44) Cf. Andoc. orat. I, 117 sqq., 128 sq.

45) Cf. Athen. XIII, p. 556 d: ἐν δὲ Ἀθήναις πρῶτος Κέκροψ μίαν ἐνὶ ἔζευξεν, ἀνέδην τὸ πρότερον οὐσῶν τῶν συνόδων καὶ κοινογαμίων ὄντων.

46) Cf. Xenoph. de re publ. Lacedaemon. I, 7 sq.

47) Cf. Annal. philol. vol. LVIII, p. 248 sqq. Ubi praeter alia, quae contra Tchorzewskium sunt recte observata, leguntur haec: Nimmt man nämlich an, dass die Tendenz der Ekklesiazusen Persiflage des Platonischen Staates sei, so muss das Stück geradezu als eine unkünstlerische Missgeburt angesehen werden, indem weder Anfang noch Ende mit der Haupttendenz desselben zusammenstimmte und namentlich die letzte Scene langweilig und ungebührlich ausgedehnt, ja ganz überflüssig sein würde. Ganz anders stellt sich aber die Sache dar, wenn wir den Zweck des Stückes als einen allgemeineren betrachten, wie allerdings seine ganze Anlage und sein Zweck erheischt, und es vielmehr als eine Enthüllung der traurigen Zustände Athens seit dem unheilvollen Ausgange des peloponnesischen Krieges ansehen, cf. p. 266. Cf. prolegg. ad Platonis rem publ. p. LXVIII sqq.

48) Cf. de philos. Graec. II³. 1. p. 466 adn. 1, ubi habes haec: Ihrem Hauptzweck nach gehen die Ekklesiazusen, wie dies der Dichter wiederholt und unzweideutig zu verstehen giebt, auf die gleichen sittlichen und politischen Zustände, welche von den Rittern, den Wespen, der Lysistrate, den Thesmophoriazusen vorausgesetzt werden und welche auch nach der Restauration Thrasybuls sich nicht geändert hatten: die Weiber- und Gütergemeinschaft wird als demokratisches Extrem, nicht als Hirngespinnst eines aristokratischen Doctrinärs auf die Bühne gebracht.

ea re sunt prolata. Quorum sententia ne eis quidem non est confirmata, quae de particularum quarundam usu Platonico Dittenberger docuit[49]) quaeque illis nuper adiecerunt Schanzius[50]) et Ritterus[51]).

Verum mittamus haec. Etenim iam satis mihi videor de Atheniensium, qui tum fuerunt, moribus verba fecisse atque satis eis respondisse, qui Ecclesiazusarum argumentum non ad veram, sed ad fictam rem publicam pertinere sibi persuaserunt. Emanavit igitur, ut comoediae Aristophaneae est proprium, e civitatis statu ac temporibus[52]) et quasi ultro poetae sese obtulit.

Iam quae praecipiuntur de mulierum imperio, quam ob rem sunt proposita? Numne solius ioci causa? Nam ad Platonis philosophorum regnum sugillandum vix possunt pertinere. Spectant nimirum, id quod non facile quisquam poterit negare, ut cuncta ad rem publicam. Iam omnia vulgi mobilitate erant tentata. Unum populiscitum brevi sequebatur alterum, unum altero abrogabatur. Denique cuncta videbantur dissoluta et labefactata, nihil in tantis fluctibus constare. Quid igitur mirum, quod desperata virorum virtute et auxilio poeta ad mulierculas vult rei publicae gubernacula delata? Hanc enim rationem unam dicit nondum esse initam cf. v. 456. Et tamen feminarum dominatio multis rebus commendatur, quarum est gravissima, quod illae agricolarum more sunt stabilissimae, ut Catonis verbis utar, nec novarum rerum cupidae. Quae animi stabilitas inde a. v. 214 aliquot exemplis comprobatur. Quaecunque mulierculae suscipiunt, moliuntur *ὥσπερ καὶ πρὸ τοῦ* atque *κατὰ τὸν ἀρχαῖον νόμον*. Quid? quod ad hanc virtutem accedunt aliae? Nam

---

49) Cf. Herm. vol. XVI, p. 321 sqq.

50) Cf. Herm. vol XXI, p. 439 sqq. Ubi quae ad nostram quaestionem pertineant, habes haec: Wenn die Ekklesiazusen um 390, wie Götz in seiner Dissertation De temporibus Ecclesiazuson Aristophanis behauptet, abgefasst sind, so kann die Annahme, dass dem Dichter hierfür das fünfte Buch der Republik vorlag, unmöglich aufrecht erhalten werden; denn dieses Buch fällt in die zweite Stilperiode und ist somit nach dem Symposion entstanden.

51) Cf. Untersuchungen ueber Plato. Stuttg. a. 1888, p. 52 sqq.

52) Quae sententia comprobatur etiam a Platonio, qui de different. comoed. dicit haec: σκοποῦ γὰρ ὄντος τῇ ἀρχαίᾳ κωμῳδίᾳ τοῦ σκώπτειν δήμους καὶ δικαστὰς καὶ στρατηγούς, παρεὶς ὁ Ἀριστοφάνης τὸ συνήθως ἀποσκῶψαι διὰ τὸν πολὺν φόβον Αἴολον τὸ δρᾶμα τὸ γραφὲν τοῖς τραγῳδοῖς ὡς κακῶς ἔχον διασύρει.

χρήματα πορίζειν εὐπορώτατον γυνή,
ἄρχουσά τ' οὐκ ἂν ἐξαπατηθείη ποτέ

(vv. 236 sq.). Cf. v. 441.

γυναῖκα δ' εἶναι πρᾶγμ' ἔφη νουβυστικὸν.
καὶ χρηματοποιόν.

Itaque poeta iure civibus ostendit spem mulierum imperio et stabilitate rem publicam tandem ex turbis fluctibusque confirmatam ad pristinam felicitatem redituram esse. Quo consilio probato non defuturam dicit pecuniam et celebratum iri epulas, quales omnibus civibus erant comparatae, cum Cono post reditum in patriam factum dis hecatomben immolaret [53]).

Quibus expositis iam licet redire, unde digressi sumus. Iam enim, credo, illis quoque, qui Aristophanis de re publica consiliorum minus sunt periti, facile probabitur, quae sit intellegenda *σωτηρία* a Thrasybulo impedita. Pacis nimirum spem Atheniensibus affulsisse a poeta indicatur, cum dicit: *σωτηρία παρέκυψεν.* Pax enim Aristophani semper una salus re vera visa est [54]). Itaque locus ille desperatus hac ratione explicatur, quod Thrasybulus paci cum Lacedaemoniis faciendae fuit impedimento atque ad eam dissuadendam sese paulo insolentius in concilium insinuavit, quamquam non erat vocatus.

Quae si statuimus, quid sibi velit verbum *ὁρίζεται* ab omnibus criticis exagitatum [55]), per se intellegitur. Etenim cum *ὁρίζεσθαι* sit fere idem atque definire, statuere, constituere (cf. Aeschyl. Suppl. vv. 378 sq.: *ὕπαστρον δέ τοι μῆχαρ ορίζομαι γάμου δύσφρονος*) vel sibi vindicare (cf. ibid. vv. 246 sq.: *ὁρίζομαι δὲ τήν τε Περραιβῶν χθόνα Πίνδου τε τἀπέκεινα*), reprehendi videtur Thrasybulus, quod sese tam superbe gereret, quasi sibi uni ut regi esset salus publica tuenda sibique uni

53) Cf. Athen. p. 3 d. Κόνων δὲ τῇ περὶ Κνίδον ναυμαχίᾳ νικήσας Λακεδαιμονίους καὶ τειχίσας τὸν Πειρειᾶ ἑκατόμβην τῷ ὄντι θύσας καὶ οὐ ψευδωνύμως πάντας Ἀθηναίους εἱστίασεν.

54) Cf. Roscheri librum de Thucydide composito p. 300 sqq., p. 307 et Teuffelii librum, qui inscribitur Studien und Charakteristiken p. 98 sqq.

55) Jam Schneiderus in praefat. ad Xen. Hellen. p. 104 hoc verbum censuit nullo modo ferri posse. Quem secutus Brunckius proposuit: ἀλλ' οὐ χρήζετε Θρασύβουλον αὐτὸν οὐχὶ παρακαλούμενοι, Bentleius: ὠστίζεται, Seagerus: ἐρίζεται. Bothius et Dindorfius scribunt: ἀλλ' οὐ ῥύσεται, Hermannus et Badhamus: ὀργίζεται, Meinekius: ὠρᾴζεται (cf. Vind. Aristoph. p. 188), Goetzius μετεωρίζεται (cf. l. l. p. 32), Schneiderus ἐκ δ' ὀρίζεται (cf. l. l. p. 433).

pacis condiciones constituendae. Qua de vituperatione conferendus est Pluti v. 550 cum scholio. Illo enim loco poeta indicat Thrasybulum a nonnullis componi cum Dionysio, tyranno illo Syracusanorum, sed non sine iniuria. Voluit igitur viro illi de patriae salute optime merito paulo maiorem potestatem concedi[56]), verum tamen non laudat nimiam eius in rebus gravissimis licentiam et arrogantiam. Ceterum verbum *ὁρίζεται* in meam sententiam iam a scholiasta videtur acceptum esse. Adnotat enim ad v. 203: *Θρασύβουλος: οὗτος αὐθάδης καὶ δωροδόκος, ὑπερόπτης ὢν τοῦ δήμου, ἠβούλετο δι' αὐτοῦ πάντα πράττεσθαι.*

Et si quaerimus, quomodo sit factum, ut Thrasybulus aliquamdiu apud populum non eadem gratia et auctoritate floreret, qua decem fere annis ante post triginta tyrannos expulsos usus erat, probabilis sane est coniectura eum bello Corinthiaco Atheniensibus praefectum obscurasse priorem gloriam clade illa ad Corinthum accepta[57]). Atque accedebat, quod eodem fere tempore Cnidia victoria reportata Cono Athenas rediit, muros restauravit, omnium laudes animosque in se convertit[58]). Neque tamen diu Athenis moratus iam Ol. 96,4 (vere anni a. Chr. n. 392)[59]) ad Tiribazum, satrapem regis, profectus est, ut Lacedaemoniorum criminationes infringeret, si modo posset[60]). Quid igitur mirum, quod

56) Cf. Ran. vv. 1431 sq. et Roscherum l. l. p. 312.

57) Jure hoc ex loco quodam Lysiaco (orat. XVI, 15) collegerunt Sievers l. l. p. 104, Grotius l. l. p. 246, Frohberger l. l. p. 438, Curtius l. l. p. 179.

58) Cf. Xen. l. l. IV. 8. 9. sqq.; Diod. XIV, 85; Isocrat. V, 63 sq., IX 56 sq.; Demosth. XX, 68 sqq., XXII, 72; Nepot. Conon. 4, Timoth. 4; Trog. Pomp. apud Justin. VI, 5, 8 sqq.; Athen. I, p. 3 d.

59) Cf. Xenoph. l. l. IV. 8. 12 sq., Diod. XIV. 85. De anno, quo Cononis iter sit susceptum, iam inter omnes constat. Cf. Goetzium l. l. p. 8 adn. 18a, Fuhrium l. l. p. 17 adn. 1.

60) Quid Lacedaemonii Cononi crimini verterint, a Xenophonte his verbis indicatur: οἱ δὲ Λακεδαιμόνιοι ἀκούοντες ὅτι Κόνων καὶ τὸ τεῖχος τοῖς Ἀθηναίοις ἐκ τῶν βασιλέως χρημάτων ἀνορθοίη καὶ τὸ ναυτικὸν ἀπὸ τῶν ἐκείνου τρέφων τάς τε νήσους καὶ τὰς ἐν τῇ ἠπείρῳ παρὰ θάλατταν πόλεις Ἀθηναίοις εὐτρεπίζοι, ἐνόμισαν, εἰ ταῦτα διδάσκοιεν Τιρίβαζον βασιλέως ὄντα στρατηγόν, ἢ καὶ ἀποστῆσαι ἂν πρὸς ἑαυτοὺς τὸν Τιρίβαζον ἢ παῦσαί γ' ἂν τὸ Κόνωνος ναυτικὸν τρέφοντα cf. l. l. IV. 8. 12. Idem fere tradit Nepos in vita Cononis c. 5. Id igitur ille iam agebat, ut civitates, quae erant intra mare Aegaeum, Persis imprudentibus — Pharnabazum navibus et pecunia orbatum Cono Athenas rediturus remiserat domum — in Atheniensium dicionem et potestatem redigeret. Itaque etiam cum Euagora, rege Cypriorum, qui Cononem post pugnam ad Arginusas factam hospitio exceperat, post eius reditum publice erat iuncta amicitia (cf. Isocrat. IX, 56 sq.), quam-

Thrasybulus iam occasionem putavit sibi oblatam esse, ut pristinum dignitatis locum recuperaret, et quoniam ei rei publicae gubernacula a civibus non ultro concedebantur, paulo maiore usus licentia, ne dicam insolentia, in gratiam eorum sese insinuare studuit? Nam eum fuisse eiusmodi, ut propter tyrannos expulsos sibi confideret licere, quae aliis

---

quam ille ab Artaxerxe in hostium numero habebatur (cf. Xenoph. l. l. IV, 8. 24; Diod. XIV, 98). Denique testatur Lysias (orat. XIX, 19 sq.) ne Dionysium quidem, Syracusanorum tyrannum, intemptatum relictum esse, sed Cononem legatis missis affinitatem inter illum et Euagoram conciliare studuisse, qua facta tyrannus a Lacedaemoniorum, quibus studebat, ad Euagorae Atheniensiumque partes perduceretur.

Iam si omnia complectimur, dubium non potest esse, quin Athenienses iam illo tempore auctore nimirum Conone id spectaverint, ut imperium illud restituerent, sicut fuerat ante bellum Peloponnesiacum. Quae sententia si fortasse cui videatur paulo audacior, quia Grotius l. l. vol. V p. 302, p. 308 et Busoltius in annal. philol. vol. suppl. VII, p. 664 sqq. prorsus negaverunt Athenienses iam tum eiusmodi consilia inisse, titulis quibusdam, de quibus copiosius disseruerunt Swoboda et Koehler in Actis instituti archaeol. vol. VII, p. 174 sqq. et p. 313 sqq. comprobata est coniectura Boeckhii. Is enim recte divinarat iam Thrasybulum alterum exstitisse Aristidem et ante pacem Antalcideam urbes maris Aegaei denuo in Atheniensium foedus et societatem recepisse (cf. de oecon. publ. civit. Athen. I³ p. 491 sq.). Cuius quidem consilii auctorem et suasorem Cononem intellegendum esse iam supra indicavi. Itaque ad hanc societatem haud scio an Aristophanis verba possint referri (vo. 193 sqq.): τὸ συμμαχικὸν αὖ τοῦϑ', ὅτ' ἐσκοπούμεϑα, εἰ μὴ γένοιτ', ἀπολεῖν ἔφασκον τὴν πόλιν· ὅτε δὴ δ' ἐγένετ', ἤχϑοντο, τῶν δὲ ῥητόρων ὁ τοῦτ' ἀναπείσας εὐϑὺς ἀποδρὰς ᾤχετο. Quamquam fieri potest ut ad Eugorae tantum foedus et amicitiam pertineant. Etenim verba: εἰ μὴ γένοιτ', ἀπολεῖν ἔφασκον τὴν πόλιν posse ad oratorum nimium rei augendae studium referri, iure contra Velsenum (cf. l. l. p. 395) monuit Goetzius (cf. Act. vol. VI, p. 343).

Verum haec quidem res utut se habet, verba: τῶν δὲ ῥητόρων ὁ τοῦτ' ἀναπείσας εὐϑὺς ἀποδρὰς ᾤχετο a scholiasta esse recte de Conone accepta, iure contra Brunckium, Goetzium, alios cum Zastra (cf. De Aristoph. Ecclesiazusarum fabulae tempore et consilio p. 14 sq.) mihi videor statuere. Etenim versamur in comico poeta, non in rerum scriptore, hoc est tenendum. Et toto caelo errant, qui illa verba censent eam ob rem non posse intellegi de Conone, quia is, ad Tiribazum cum proficisceretur, sua sponte, non fugitivi more patriam reliquerit. Immo sunt vertenda, ut verterunt Glypheus et Droysenus: „der Redner hat sich aus dem Staub gemacht" vel.: „der Redner hat sich aus dem Rauch gepackt". Nihil igitur conqueritur poeta nisi quod Cono, qui societatis exstiterat auctor, deseruit patriam, cum propter molestias inde exortas eius prudentia et auctoritate maxime esset opus. Et ni fallor ex ea ipsa re, quod qui suaserat consilium, leviter modo perstringitur ne nomine quidem adiecto, indicium repeti potest Cononem hoc loco indicari. Profecto, qui propter merita populi gratia florebat, in illum ut in Agyrrhium, Cephalum, Neoclidem invehi poeta iure noluit.

non impune essent, testimonio quodam Aeschineo[61]) demonstratur. Itaque cum a Lacedaemoniis legati de pace Athenas essent missi — quod factum esse ipse testatur Philochorus[62]) — equidem crediderim paulo arrogantius prodisse Thrasybulum atque, ut iam antea se praebuerat Lacedaemoniorum odio et studio bellandi inflammatum, cum de Boeotorum auxilio et foedere ageretur[63]), pace dissuasa civibus bellum commendasse. Nam Conone absente se ei bello gerendo praefectum iri, ut re vera est factum, ipsum fugere non poterat. Atque ad Thrasybuli orationem hac de re habitam haud scio an spectent Aristophanis verba (v. 356): *μῶν ἦν* (scl. *ἀχράδα*) *Θρασύβουλος εἶπε τοῖς Λακωνικοῖς;* quae adversatus Goetzio profecto recte interpretatus est Velsenus[64]). Fortasse, superbia ut erat elatus, pacem ipsam, quam offerebant Lacedaemonii, ille *ἀχράδος* similem esse dixerat, quia Atheniensium imperium ea aeque constringeretur ac fauces eorum, qui *ἀχράδας* edissent[65]).

Iam si quaerimus, quando Lacedaemoniorum de pace legati Athenas petiverint, proficiscendum videtur ab Andocidis oratione, quae inscribitur: *περὶ τῆς πρὸς Λακεδαιμονίους εἰρήνης*. Quae utrum esset habenda pro genuina an pro spuria, ut voluit Dionysius Halicarnassensis[66]), cum diu inter viros doctos esset certatum, nostra aetate inter omnes fere constat eam re vera Andocidis esse[67]). Neque tamen idem est consensus inter eos, qui de orationis tempore sententiam protulerunt. Atque mihi quidem ea maximam veritatis speciem habere videtur, quam Kruegeri[68]), Blassii[69]), aliorum refuta-

---

61) Contra Ctesiph. 195. Cf. Pseudo-Plut. vit. decem orat. p. 835. Ceterum vide Frohbergerum l. l. p. 444 sqq.

62) Cf. argum orat. tert. Andocideae.

63) Cf. Xen. l. l. III. 5. 16.

64) Cf. l. l. p. 394.

65) Cf. scholion et quae similiter lusit Aristophanes de indutiis picem et alia eiusmodi olentibus in Acharn. vv. 190 sqq.

66) Cf. argumentum.

67) Diligentissime et copiosissime hanc quaestionem tractavit Kirchner in dissertatione de Andocidea quae fertur tertia oratione conscripta.

68) Cf. Studior. historico-philolog. vol. II, p. 242 sq.

69) Cf. histor. eloqu. Attic. vol. I[1] p. 282, p. 663 itemque prior. Andocidis edition. p. XVII.

tis tulit Fuhrius[70]). Is enim orationem Andocidis hieme anni 392/91 habitam esse, cum nuntius de Conone a Tiribazo capto Athenas iam allatus esset, sat gravibus argumentis comprobavit. Illo igitur tempore Thrasybulus putandus est *σωτηρίαν ὡρίσθαι οὐχὶ παρακαλούμενος*. Atque huius rei mentionem poeta vix poterat inicere, si fabula Lenaeis, ut statuimus, Ol. 97,1, id est exeunte mense Ianuario anni a. Chr. n. 391 esset acta. Neque aliter se habet res, si cui Ecclesiazusae Dionysiis magnis, id est sub finem mensis Martii eiusdem anni in scaenam commissa videatur[71]).

Restat igitur unus annus atque is, qui fuit Ol. 97 secundus. Et vere anni ante Christum 390 Athenienses Ecclesiazusis in theatro delectatos esse equidem cum Velseno crediderim[72]). Ad hunc enim annum cum illis deducimur, quae de pace a Lacedaemoniis oblata probavimus, tum versibus illis, quos iam supra laudavi:

ναῦς δεῖ καθέλκειν· τῷ πένητι μὲν δοκεῖ,
τοῖς πλουσίοις δὲ καὶ γεωργοῖς οὐ δοκεῖ.

Nam rerum scriptores si evolvimus, quo tempore Athenienses classem deduxerint, Diodorus praetore Philocle (Ol. 97,1) Thrasybulum cum quadraginta navibus missum esse memoriae prodidit[73]). Verum idem quod tradit illum ab Aspendiis esse trucidatum Ol. 97,3[74]), tota in expeditione enarranda chronologiam ut saepius perturbasse est putandus[75]). Cuius quidem confusionis causam Volquardsenus rectissime statuit eam, quod Diodorus interdum in rebus narrandis magis earum

---

70) Cf. l. l. p. 7 sqq. Adsensi sunt Belochius l. l. p. 357 et Blassius in alter. edit. histor. eloqu. Att. vol. I, p. 294 et in alter. edit. Andoc. p. XIX.

71) Schneideri opinionem (cf. l. l. p. 435), qua comoedia est acta Ol. 97,1 (anno 391 a. Chr. n.), probare nequeo. Etenim ut Goetzius et Tchorzewskius, ille quoque inde proficiscitur, quod Atheniensium Boeotorumque foedus sine ulla dubitatione sit factum Ol. 96,2. Atque praeter scholiastae adnotationem, in qua ut Tchorzewskius vocem δύο ex numeri quaternarii notula δ' censet corruptam esse, nullum argumentum ad sententiam suam stabiliendam protulit. Quamquam dicit: Ac profecto multo est credibilius commissam fabulam esse, cum Thrasybulus totum iam annum 392 versatus esset apud exteros, qui eum non vocaverant. Sed nos quidem vidimus eum illo tempore Athenis adfuisse videri veri simillimum.

72) Cf. l. l. p. 395. Adsentitur quamvis dubitanter Belochius l. l. p. 357.

73) Cf. l. l. XIV, 94.

74) Cf. l. l. XIV, 99.

75) Cf. Frohbergerum l. l. p. 439 adn. 12.

similitudinem quam rationem et conexum spectavit[76]). Neglegendus igitur est scriptor Siculus et unus sequendus Xenophon[77]). Atque eum rerum ordinem recte observasse per se est manifestum. Is enim Thrasybulum narrat cum classe in Asiam missum esse, quia Lacedaemonii Rhodiis auxilium petentibus subvenerant et decem naves Atheniensium interceperant, quae Philocrate duce Euagorae subsidio veniebant[78]). Itaque Diodoro, qui Thrasybulum iam Ol. 97,1 dicit Athenis profectum, cum Rhodiorum legati nondum Spartam venissent[79]), non est fides habenda. Periit dux ille Ol. 97,3, hac de re non est quod dubitemus[80]). Id modo dubium est, utrum eiusdem praetoris anno, quo diem supremum obiit, an anno ante sit domo profectus. Verum utut haec res se habet, eum iam anno ante Christum 390 missum esse, non vere demum anni 389, hoc inter omnes constat[81]). Et veri simillimum sane videtur Thrasybulum non aestate, sed vere anni 390 Piraeum cum classe reliquisse[82]). Itaque Aristophanis verba: *ναῦς δεῖ καθέλκειν κτλ.* non anno 389, id est Ol. 97,3, in scaena potuerunt pronuntiari. Verum si ineunte anno 390 in theatro sunt audita, omnia se habent recte. Nam hieme anni 392/91 vidimus Lacedaemoniorum legatos infecta re remissos esse. Itaque poeta cum aestate vel autumno anni 391 comoediam componebat, tum ipsum illi, qui a pace erant alieni, putandi sunt in contionibus clamasse et poposcisse, ut ad hostes reprimendos naves deducerentur. Qua in classe

76) Cf. l. l. p. 45 sq., p. 49. Adstipulatus est Swoboda l. l. p. 118 adn. 1.

77) Cf. l. l. IV. 8. 25 sqq.

78) Ad hanc classem non spectare Aristophanis verba: ναῦς δεῖ καθέλκειν vix licet dubitari. Poeta magnam nimirum expeditionem significat, qualis per longum temporis intervallum non sit exornata. Cypriis autem decem modo naves erant decretae eaeque κεναί, id quod iure observavit Frohberger ad Lys. orat. XIX, 21. Nam hanc orationem re vera ad eam expeditionem spectare, quae Philocle duce Cyprum est suscepta, non ad eam, de qua agit Xen. l. l. V. 1. 10, idem vir doctus contra Bakium (Scholic. hypomnem. III, p. 197 sqq.), Franckenium (Quaestion. Lysiac. p. 137), Blassium (l. l. vol. 1² p. 531 adn. 5) recte confirmavit. cf. praefat. ad hanc orationem p. 275 adn. 45).

79) Hoc praetore demum Nicotele esse factum (Ol. 97,2) tradit Diod. l. l. XIV, 97.

80) Cf. Diod. l. l. XIV, 99.

81) Cf. Frohbergerum l. l. p. 439, p. 442 adn. 27.

82) Cf. Frohbergerum l. l. p. 439, p. 442 adn. 27; Fuhrium l. l. p. 7 adn. 1; Curtium l. l. p. 201.

exornanda Athenienses eo tempore, quo spectabatur fabula, id est ineunte anno 390, iam erant occupati, ut esset:

ἡ πόλις πλέα
θορύβου στρατιωτῶν, περὶ τριηράρχου βοῆς,
μισθοῦ διδομένου, Παλλαδίων χρυσουμένων κτλ.

cf. Ach. vv. 545 sqq.

Quibus expositis iam redeamus ad scholiastam, ne eum plane omisisse videamur. Natalicium igitur fabulae annum studuimus probare Ol. 97,2; Atheniensium Boeotorumque societatem ad praetorem Phormionem censuimus referendam esse. Itaque si cum Tchorzewskio et Schneidero statuimus vocem *δύο*, quam esse integram propter scholii condicionem iure sane diffidere licet, ex numeri quaternarii notula *δ'* exortam esse, ne scholiastae quidem auctoritas est impedimento, quominus fabulae natalem recte enucleasse videamur. Nam inter Nicotelis praeturam (Ol. 97,2) et Phormionis magistratum (Ol. 96,1) quattuor annua imperia sunt interiecta. Auctores autem scholiorum interdum et illum praetorem, a quo proficiscitur, et eum, ad quem descendit computatio, non in censum vocasse iam supra indicavi. Idem recte observavit Tchorzewskius. Et nostro loco eandem rationem non esse admissam quis est, qui nobis persuadeat?

II.

De choro Ecclesiazuson.

Cum bello Peloponnesiaco opes et fortunae Atheniensium ita essent consumptae atque exhaustae, ut, quidquid facultatum supererat civibus, ad rei publicae compagem sustentandam vix sufficeret, non poterat fieri, quin illis potissimum sumptibus studerent moderari, qui non imponebantur necessitate, sed rebus quondam florentissimis erant inventi ad vitam humanitate et iucunditate instruendam. Itaque tantum aberat, ut artium liberalium studia, quae Periclis patrocinio ad summum provecta fastigium diutino armorum strepitu neglecta iacuerant, pace facta in pristinum locum restituerentur monumentorumque series ab illo incohata novis augeretur operibus, ut ne muri quidem, in quibus salus et praesidium urbis erant posita, Atheniensium pecuniis restituerentur. Ac ne in templis quidem delubrisque deorum colendis curam et diligentiam paulo maiorem licebat illis consumere, ut Erechtheum ex parte incendio deletum aliquamdiu relinqueretur semiustum [1]). Quam ob rem non est mirandum, quod etiam pomparum ludorumque sollemnium magnificentia evanuit. Nam cives deficiebant [2]) facultates ad sumptuosa [3]) illa officia praestanda, quae pertinebant ad Semeles filium ludis scaenicis celebrandum. Et cum munerum theatralium in ordinem id esset ultimo loco receptum, quod spectabat ad choros comicis poetis praebendos [4]), facile intellegitur ingra-

1) Cf. Wachsmuthii librum: De urbe Atheniensium antiqua p. 578.

2) Cf. Platonium περὶ διαφορᾶς κωμῳδιῶν § 7 Bergk.

3) Cf. Lysiae orat. XXI. 4 et Boeckhium de oecon. publ. civitat. Atheniens. edit. tert. vol. I, p. 539 sqq. p. 544.

4) Cf. Aristot. Poet. p. 1449 B.: καὶ γὰρ χορὸν κωμῳδῶν ὀψέ ποτε ὁ ἄρχων ἔδωκεν, ἀλλ' ἐθελονταὶ ἦσαν.

vescente temporum iniquitate comoediarum actiones primas esse in periculum vocatas. Etenim quamquam plebi erant iucundissimae [5]), tamen non eodem utebantur vetustatis et sanctitatis praesidio atque alia eiusdem generis certamina et illi ipsi civium ordini, a quo sumptus impendebantur, propter cavillationes erant infestae atque invisae. Itaque cum iam pridem Antimachea [6]) et Syracosiana [7]) rogationibus comicorum petulantiae essent freni adhibiti, temporum angustiis magis magisque adauctis comoediae universa ratio coepta est commutari. Nam cum Ranarum fabula non esset in scaenam inducta nisi duorum choragorum facultatibus collatis [8]), cursum sublimiorem propter subsidiorum tenuitatem ne Aristophanea quidem comoedia potuit tenere. Verum etiamsi Agyrrhii [9]) rogatione mercedem poetarum comicorum minuente grave quoddam detrimentum esset acceptum, quoad eius fieri poterat, prioris volatus fecit pericula. Etenim nondum malignitate Cinesiae [10]) erat lege constitutum, ne quis amplius choris comicis sumptus suppeditare cogeretur. Quorum auxilio quamdiu licuit uti, omnibus ingenii facultatibus evocatis id egit Aristophanes, ut pristinae comoediae dignitatem tueretur. Atque in studio eo persequendo etsi fortunae iniquitate oppressus ad extremum cessit temporum rationi et inclinationi, tamen non facile iustum et tenacem propositi virum civium ardor a consiliis removit. Cuius pertinaciae

---

5) Cf. Pseudo-Xenoph. de republ. Athen. II, 18; Plutarchi Moral. p. 801 B. Platonium l. l. § 3.

6) Cf. Schol. ad Ach. v. 67, v. 1150.

Cobeti observat. critic. in Platon. comici reliquias p. 9 sqq.

Bergkii scripta minor. II, p. 450 adn. 7; Keckii quaestion. Aristoph. p. 12 sqq.; Zielinskium: De partitione comoediae Atticorum antiquae p. 55 adn. 6. Ubi quae de Antimachi cognomine suspicatus est, — dissertationem eius de lege Antimachea conscriptam mihi non licuit inspicere — vereor ne de eis sit idem iudicium ferendum atque de Muelleri-Struebingii de Diotimo commentis. Vide: De Aristophane et arte critica historica p. 703 sqq. Ceterum cf. Litterar. Centralbl. a. 1884, p. 1391; Philolog. Rundschau a. 1884, p. 983. Bursian. Jahresber. a. 1884 IV, p. 364.

7) Cf. schol. ad Av. v. 1297; Bergkii comment. de reliquiis comoed. Att. antiquae p. 372 et script. minor. vol. II, p. 459; Meinekii histor. critic. com. Graec. p. 40 sqq., Cobetum l. l. p. 36 sqq.

8) Cf. Aristot. apud schol. Ran. v. 404.

9) Cf. schol. ad Ran. v. 367; schol. ad Eccles. v. 102.

10) Cf. schol. ad Ran. v. 153, v. 404.

vestigia non sine miseratione quadam deprehendimus in fabula Ecclesiazusarum, ad cuius chorum paulo accuratius tractandum iam appellamus animos.

Sed priusquam ad chori ipsius rationem exponendam accingamur, de totius fabulae argumento nonnulla erunt praemonenda.

I.

De argumento et dispositione fabulae.

Quam tractaturi sumus quaestionem, eam in singulis rebus non bene profligari posse arbitramur, nisi prius universa fabula in uno conspectu posita et quid agatur et quomodo agatur, spectaverimus. Qua in re, unde argumentum sit inventum, eam quaestionem, quippe quae nihil huc pertineat, libenter iubebimus valere. Id agimus, ut percipiamus indolem et naturam fabulae, qualem habemus traditam. Et si totam contemplamur, quamquam profecto iure Odofredus Mueller [11]) mihi videtur perfectissimis Aristophanis comoediis eam adnumerasse, tamen certo quodam discrimine seiungitur ab aliis, quae eadem laude dignae sunt. Est enim genere mixto et ambiguo et praeter argumentum e foro et re publica repetitum, quod unum omnibus fere antea comoediis Aristophaneis est subiectum, prima assumpsit res domesticas. Quod cave, ne parum respicias, cum hac in re appareant prima initia eius comoediarum generis, quod ad humiliora delapsum una cum re publica chororum exuit et adiumentum et splendorem. Quamquam non potest negari etiam in prioribus fabulis inesse, quae ad vitam privatam pertineant, velut in Equitum et Nubium partibus prioribus. Verum tamen hoc intercedit discrimen, quod res domesticae eo modo consilio ibi sunt admissae, ut haberet poeta, quod quasi fundamentum substrueret actioni paulo post transiturae ad rem publicam. Erat enim argumentum non semper eiusmodi, ut aeque atque in Acharnensibus et Lysistrata statim ab initio pansis velis per altum mare ferretur comoedia. Sed tamen, si poetae ora erat legenda, priusquam praeberet carbasa ventis,

---

11) Cf. Histor. litter. Graec. vol. II edit. tert. p. 231. Idem iudicarunt Beerius in libro, qui est de numero histrion. Aristoph. p. 109, Droysenus in versionis praefatione.

ita nunquam praeter necessitatem hisce rebus levioribus fatigavit spectatorum animos, ut quam rectissima via solitus sit ad maiora tendere, aut si forte paulo diutius detineri sibi videbantur Athenienses, rerum consilium et sententiam illis aperuit [12]). Itaque quamquam plus semel prologos Euripideos habuit ludibrio velut in Acharn. vv. 47 sqq., Eccles. v. 1 sqq., tamen illis ipsis locis Euripidem non solum ideo est imitatus, ut eum carperet, sed etiam ea de causa, ut ipse quoque eiusmodi prologorum utilitate et commoditate perfrueretur spectatoresque facilius et celerius ea edoceret, quae ad rem intellegendam opus erant. Adde quod praeterea, quo velocius ad rem ipsam perveniret, poeta non est dedignatus causarum narrationes more Euripideo [13]) interpositas, ut Acharn. vv. 17 sqq., Eq. vv. 40 sqq., Vesp. vv. 54 sqq., Pac. vv. 50 sqq. Iam concedes ubique Aristophanis deprehendi consilium, ut res ad privatam vitam pertinentes ut inferioris generis exsuperaret quam citissime.

Et si spectas locum, facile cognosces inveniri eiusmodi res maxime in primis prologorum partibus, priusquam chorus adventu suo rei etiamtum humiliori addidit spiritus iacentemque excitavit et erexit ad dignitatem. Quod maiestatis fastigium quamquam interdum ut in Lysistrata et Equitibus retinetur per totius fabulae decursum, tamen saepius fit, ut inde a parabasi peracta inclinetur argumenti natura. Etenim consilio, de quo certabatur, ab adversariis iam probato vel re ipsa ut in Pacis fabula bene perfecta, quia deficit ardor et contentio, remittitur etiam argumenti gravitas. Itaque extremis in partibus a cursu instituto saepius deflectit comoedia reditumque aliquo modo facit ad initium. Etenim iam dissolvitur actio in complures imagines, ut ita dicam, quibus ostenditur, quomodo illis, quae sunt constituta et instituta, singuli cives privati afficiantur (cf. Pacis et Avium fabulas).

---

12) Velut Pac. vv. 43 sqq.

13) Quae narratiunculae etsi in posterioribus fabulis sunt evitatae, tamen non crediderim hanc rem esse ab Aristophane correctam commoto obtrectatorum castigationibus, qui eum Euripidis et irrisorem et imitatorem cavillabantur (cf. schol. Platon. Becker. 330, Cratin. frg. 307 in Kockii editione; Aristoph. frg. 471; Bergk. Prolegg. de comoed. III. 12). Illi enim videntur potius eius levitatem in argutiis sophisticis expromendis vituperasse, quibus utitur interdum in agonibus vel si aliis locis alterum facit alterum de aliqua re accuratius instruentem.

Sed tamen res semper ita est disposita, ut singulae particulae, quippe quae prolabantur ad vitam privatam, persona ea, quae primarias suscepit partes, ut a Trygaeo et Pithetaero contineantur atque ab ipsis consiliorum auctoribus reflectantur et revocentur ad ipsam rem publicam. Quomodo fit, ut ne eiusmodi quidem in rebus plane omittatur gravitas consilii et rei publicae utilitas.

Quibus statutis [14]) si iam Ecclesiazusarum spectamus argumentum, usque ad chori priorem parodum vel potius exitum omnia procedunt ex pristina consuetudine et cum Lysistratae prologo summam produnt similitudinem. Atque ne id quidem, quod carmen parodi loco positum non cantatur a prodeuntibus, sed ab exeuntibus choreutis, etsi apud Aristophanem nusquam alias est factum in fabulis, quae aetatem tulerunt, per se quidquam facit ad rem. Verum quae inde sequuntur, statim plane alius sunt generis mirumque in modum desciscunt ab antecedentibus. Exspectamus sane viros femineis vestimentis indutos et conquerentes contionis ademptae facultatem. Sed quid fit re vera? Prodit senex conquerens uxoris malitiam ipsiusque praesentes angustias nihil memorata rei publicae calamitate, quoniam ipse non posset civium iura in contione exercere. Et qui paulo post sequitur vicinus, easdem in quaerimonias est effusus. Ne huic quidem patriae salutis in mentem venit, ut nemo non statim agnoscat eius comoediae similitudinem, quam imitationem vitae, speculum consuetudinis, imaginem veritatis recte dixit Cicero. Atque tantis illi utuntur in colloquendo ambagibus, ut poetam videas hanc sermocinationem ipsius causa admisisse populumque voluisse ea delectari. Itaque nihil est, quod spectat ad rem publicam; ne nomine quidem monemur confabulantes esse cives Athenienses. Atque si scaena sine ulla dubitatione erat ita instructa, ut duae vicinorum domus essent in conspectu, tamen poeta poterat inducere δημότας,

---

14) Iure in hisce poetae consiliis constituendis Ranarum exemplum omittere posse mihi videor, cum hanc fabulam constet proprium locum obtinere. Proficiscitur enim ab arte studiisque poetarum atque ad rem publicam iam non pertinet nisi per ambages. Praeterea non agitur apud mortales, sed apud mortuos. Itemque Pluti comoediam prorsus neglexi, quod post Ecclesiazusas demum ea, quam habemus retractationem, acta est. Ex fragmentis vero comicorum nihil arbitror posse elici, quo quae posui aut commendentur aut infirmentur, quoniam quam sedem singula habuerint in fabularum contextu, prorsus ignoramus.

qui dignitatis et maiestatis populi Atheniensium memoriam non plane deposuissent. Verum quod omnino res est ita disposita, ut agatur inter cives eodem loco habitantes, atque scaena a tota urbe vel foro publico iam est coartata et quasi constricta in vici cuiusdam angiportum, hoc ipsum rerum inclinationi satis est documento. Itemque quod histrionis, cuius exitus significatur v. 729, adventum praeter consuetudinem non indicavit Aristophanes, haec quoque res a fabulis prioribus est aliena. Nimirum erat ille quoque vicinus aliquis, qui domi suae Blepyri cum uxore iurgium auscultaverat et, cum sycophantis periculum imminere exaudisset (v. 562), subito foras se proripuerat. Quam cum nova comoedia similitudinem si perspexisset Beerius, nunquam fabulae integritatem vocasset in suspicionem [15]).

Atque etiamsi poeta prius interdum iocis concesserat locum, qui rem ipsam non promovebant, velut in Pacis fabula inde a v. 962, vel adeo, ut intellegerentur, longiorem exigebant quasi praefationem, velut in Vesp. vv. 1130 sqq. vocis ἐριώλης iocosum veriloquium ab »ἔριον« et »ὄλλυμι« (cf. ἐξ-ώλης, παν-ώλης) repetit, tamen semper paucioribus versibus erant inclusi et quasi intercalati. Nostra vero in fabula eiusmodi facetiae totum explent episodium. Neque enim metus est, ne quis mihi iure opponat ex Vespis vv. 137 usque ad v. 210, quia quae ibi fiunt, pertinent ad Philocleonis rabiem ac iudicandi cupiditatem aperiendam. Itaque ad rem sine ulla dubitatione inde aliquid lucri redundat. Et plane eodem modo sese habet res in Ranarum parte priore, ubi variis rebus, quae aguntur, naturae Dionysi levitas et mollitia aperitur. Nostro autem loco plus quam sexaginta versibus (v. 311 — v. 372) ad rem ne tantum quidem proficitur. Quam ob causam, si quis prioris comoediae formam exprimendam susciperet, certe totam hanc particulam nequiret non delere. Immo salva re a v. 310 posset fieri transitus ad v. 372; neque quidquam desideraretur, cum vv. 374 sqq. id breviter comprehensum repetatur, in quo prioris episodii omnis inerat vis comica.

Iam videamus cetera. Atque quae sequuntur inde a v. 372, bene cum fabulae prologo consentiunt et re vera colorem ostendunt antiquum. Verum in Blepyri cum Praxa-

---

15) Cf. l. l. p. 106 sq.; Engerum in Annal. philol. vol. 68, p. 258.

gora uxore obiurgatione denuo emicat futurae comoediae imago. Dixerit fortasse quispiam, hoc coniugis cum viro congressu poetam non potuisse carere et praeterea in eo inesse satis, quo notetur feminarum astutia et procacitas. Concedo utrumque. Sed quid lucri capitur ex hac cavillatione, quoniam postea nil sequitur, quod inde pendeat? Et si quis nostrum locum comparaverit cum Lysistratae vv. 829 sqq., ubi Cinesias cum uxore perfida congreditur, facile intelleget, quid inter fabulam vere antiquam et nostram intersit discriminis. Nam quae illic aguntur, cum aliis rebus commenticiis bene sunt coniuncta et adaequata, id quod inde optime perspicitur, quod Cinesias ad uxorem domandam non eis rebus utitur, quae re vera suppeditabant civi Atheniensi, sed ipse quoque agit ex natura ficta et fabulae condicioni adaequata. Sed in Ecclesiazusis etsi agitur causa, quae non est vera, tamen poeta quam maxime est imitatus veritatem. Neque quidquam est, quod fiat contra rerum naturam, sed geruntur omnia ex hominum more et consuetudine. Quo fit, ut nihil graviorum sententiarum in eo sermone reperiatur. Hae enim pendent ex causis animo et cogitatione inventis, non ex rebus, quas in usu et consuetudine vitae aurium vel oculorum opera perceptas imitantur poetae. Atque ita res iacet humi, ut si ex tota comoedia nihil nisi hic locus superesset, ne poetae quidem nomine asservato, profecto vix esset quisquam, qui Aristophani vel alii, quorum comoedia prisca virorum est, hoc fragmentum attribueret.

Peracta obiurgatione iam ad »agona«, quem nuncupavit Zielinskius, accinguntur. Cuius de forma pro reliquis mutilata et Pluti simillima non est, quod pluribus dicam, cum Westphalius[16]) et Zielinskius[17]) satis ea de re egerint. Verum non solum forma antiqua est neglecta, sed ne in re quidem et sententiis pristina consuetudo servata. Nam quae aguntur, ab illis, quae in fabulae prologo erant proposita, prorsus sunt aliena (cf. vv. 174 sqq., 193 sqq., 205 sqq.). Non enim pertinent ad rei publicae salutem, sed ad virorum feminarumque libidines fabulose explendas. Eiusdemque sunt generis, quae inde subsequuntur. Etenim cum neque Praxagora ipsa neque aliae mulieres ad rei publicae guber-

16) Cf. de re metrica Graecorum vol. II, p. 402 ann. 1.
17) Cf. l. l. p. 28 sqq.

nacula, quae illis dicebantur tradita, re vera accessissent, sed duci feminae nihil nisi bonorum mulierumque communio videretur pro imperio instituenda (vv. 711 sqq.), postea non poterant prodire praetores vel iudices rerum commutationem conquerentes. Itaque continuatur argumenti inde a parodo magis magisque delapsi humilitas, id quod satis etiam declaratur languidarum percontationum et responsionum serie saepius decantata velut vv. 773 sqq., 799 sqq., 862 sqq., cf. vv. 436 sqq.

Praeterea ea, quae post parabasis locum legimus (vv. 730 sqq.) si comparantur cum prioribus fabulis, item aliam ostendunt mutationem. Etenim sicut supra vidimus, parabasi transacta argumentum non semper eundem servat tenorem, sed interdum dissolvitur in varias, quas dixi, imagines. Quod cadit etiam in Ecclesiazusas. Sed quanto discrimine! In aliis fabulis velut in Pacis et Avium alia res sequitur aliam, ut poetam omnibus viribus videas id egisse, ut novarum rerum eventus pluribus quam latioribus et copiosioribus exemplis ostenderet spectatorumque animos variatione et festinatione teneret defixos, ne hisce rebus minoribus averterentur a summa. Cuius quidem consilii in nostra fabula nulla vestigia deprehendimus, sed duo, quae habemus exempla inde a v. 730, tantas ducuntur per ambages, ut per se sit manifestum, ipsorum causa ea esse allata neque maiori graviorique subiungi consilio. Atque in tanta verbositate, qua imprimis mulierum communio calcatur et traducitur, id praeterea offendit, quod quae suaserat consilium, Praxagora, ipsa non iam agendi suscipit partes. Aliis autem in fabulis id semper vidimus fieri nec fieri sine causa. Itaque ne specie quidem fabulae pars posterior coniungitur cum principio [18]). Quin etiam, quae initio propter ingenii sollertiam ad praeturae honores erat evecta, ut argumentum per fabulae decursum a rei publicae sublimitate ad rerum domesticarum humilitatem est delapsum, ipsa est loco deiecta et in fabulae exitu videtur inter parietes coercita non imperare nisi servis et ancillulis.

Quae cum ita sint, satis mihi videor demonstrasse, Ecclesiazusarum fabulam nullo modo antiquiori comoediarum generi esse plane adnumerandam. Est ea potius genere mixto et

18) Cf. Beer. l. l. p. 110.

ambiguo et, ut ita dicam, comoediae cothurnus mixtus cum socco. Quod quibus de causis a poeta sit institutum, ex eis licet divinare, quae supra sunt adumbrata et paulo infra clarius perspicietur. Hic satis est evicisse non Pluti demum, ut vulgo statuitur, sed iam Ecclesiazusarum fabulam prima ostendere inclinationis vestigia neque ea leviter impressa [19]). Sunt enim, etsi a re publica proficiscitur comoedia, permulta admixta, in quae poetae ipsius cadunt verba haec:

κεἰ γὰρ δι' ὄχλου τοῦτ' ἐστὶ τοῖς θεωμένοις,
ὅμως ἔχει τερπνόν τι καὶ κωμῳδικόν vv. 888 sq.

2.

De fabulae partibus choricis.

Cohaeret haec questio artissime cum illis, quae modo sunt exposita. Sed quoniam nostram inter et priores comoedias quantum intercedat discriminis, per se satis intellegitur, fusiore inter haec et illarum carmina comparatione facile carebimus.

Ac primum quidem, ut praefracte dicam, non iam comicorum, sed tragicorum more composita est comoedia. Iam enim omnia carmina vel quod eorum loco est substitutum, ita sunt interiecta, ut aeque ac fit in tragoediis, locum habeant in fine episodiorum eaque inter se conectant explendis intervallis. Nullae igitur choreutarum partes, quae quidem non spectent ad fabulae actionem promovendam ut vv. 514 sqq., vv. 571 sqq., in ipsis episodiis sunt positae nec duobus stropharum dimidiis seiunctim collocatis sermonis actionisque interrumpunt contextum [20]). Quamquam pauca, sed tamen certa habemus carminum exempla, quibus sententia mea innitatur. Neque enim carmina duo priora ita possunt coniungi, ut voluit Zielinskius [21]). Nam non efficiunt parodum eodem modo ut in Acharnensibus interruptum, sed quoniam chorus post discessum revertitur [22]), non potest dubitari, quin secun-

19) Vide, quae recte exposuit Droysenus in versionis fabulae praefatione.
20) Cf. Zielinsk. l. l. p. 5.
21) Cf. l. l. p. 157.
22) Quod in Acharnensibus quoque chorum ex orchestra recessisse statuit Zielinskius l. l. p. 157, p. 128, p. 238, cum Dicaeopolidis illud εὐφημεῖτε, εὐφημεῖτε v. 237 exaudisset, sine iusta causa factum est.

dum carmen ut in Eumenidibus Aeschylea et Aiace Sophoclea sit habendum pro epiparodo. Et mira certe esset coniunctio, si poeta, qui in tota fabula partes choricas quam maxime coercuit et prius disiunctas in unum collegit, antiquissimum fere quem chori inducendi modum rebus florentissimis adhibuerat, copulasset cum novissimis rationibus, quae spectabant ad eum abolendum. Duo igitur habemus carmina et ea antistrophica, sed ita comparata, ut strophas aeque atque in tragoediis statim subsequantur antistrophae. Quae vero praeterea habemus cantica, tantam prae se ferunt tenuitatis speciem, ut rectius ea vocaveris umbran et imaginem quam ipsa chori carmina. Invenitur enim, si recesseris ab illo, quod in exitu est positum, iam nullum, quod arte sit paulo insignius aut ubertate et sententiarum praestantia aliquam praebeat delectationem. Et facile cognoscitur in universa fabula poetam non admisisse carmina nisi quae omnino sunt necessaria. Necessitati igitur debetur parodus vel, ut rectius dicam, carmen illud metastaticum[23]) inde a v. 289, neque etiam ullo modo poterat careri epiparodo. Et alia carmina in priore fabulae parte iam nemo exspectabat, quoniam eorum facultatem per chori absentiam non sine causa prorsus ademerat poeta et eo loco, ubi carminis erat usus, (post v. 356) sollerter histrionis longiorem declamationem interposuerat. Quo facto iam omnia ex consuetudine videbantur progressura, etsi illum, qui paulo erat attentior, non poterat fugere, illo ipso loco, ubi desiderabatur chorus, argumentum omni gravitate orbatum maxime iacere, inde vero conversum ab nugis Megaricis resurgere ad chori reditum versus.

Deinceps quae a choro praestantur, quamvis satis etiam valeant ad fabulae compagem continendam, mutatae rationis vestigia ostendunt apertissime. Nam postquam inde a v. 506 inter mulierum chorum Praxagoramque ducem imperandi et audiendi commercium est restitutum, — id quod coram spectatoribus plane erat necessarium, quia reditus non erat una neque eadem via factus — chorus iam omnino desistit rem gerendam adiuvare vel celebrare laudibus. Quamquam non deest agonis instituendi adhortatio, quae, quoniam non poterat ea careri, ne in Pluto quidem est omissa cf. vv. 487 sq.

---

23) Cf. A. Mueller: Lehrbuch der griech. Bühnenaltertümer, p. 212.

Sed agona ipsum chorus iam nullo verbo persequitur. Et poterat sane fieri, ut assensionis interponeret significationes velut in Avium agone admirationis[24]). Quamquam carminum pericula ne faceret neve subiret, poetae sollertia est impeditum, qui ut in Pluti fabula agoni prius dedit finem, quam chorus ad partes vocaretur.

Iam vero accingendum erat ad parabasin. Sed qui antea omnibus animi facultatibus erat enisus, ut cursum antiquo more institutum tenere videretur, eum ad parabasin superandam deficiebant vires choreutarum[25]). Itaque quae tam penitus inhaerebat antiquae comoediae insita, ut nusquam antea locum non obtineret[26]), primum erat omittenda. Et eo facilius est omissa, quod sine fraude argumenti poterat abesse neque ad fabulam deducendam, qua est natura propria, ullius erat momenti. Quod autem ex ea videbatur si non necessarium, tamen ad victoriam utilius, adiecit poeta in fabulae exitu vv. 1154—1162.

Parabasi vero cum supersederetur — et eam certe esse omissam, ex captatione illa benevolentiae perspicitur, cui ibi erat locus legitimus[27]) — non est admirandum cetera quoque stasima abesse. Nimirum ad fabulae actionem promovendam ne illa quidem erant necessaria neque opus ad coniungenda episodia. Etenim qui modus ad parabasis locum explendum a poeta erat inventus, facile ad illa quoque compensanda adhiberi poterat. Neque ullam video rationem, cur cum

---

24) Non probanda videtur sententia Zielinskii l. l. p. 117 sqq. cum Bergkio invitis codicibus upupam pro choro substituentis.

25) Cf. Hornungii commentationis de partibus comoed. Graec. particul. p. 25.

26) Prorsus facio cum Westphalio, qui ne Lysistratam quidem parabasi carere recte intellexit, sed illa, quae sequuntur inde a. v. 616, esse pro ea habenda (cf. Prolegg. ad Aeschyli tragoedias p. 46 sqq.). Idem fere jam censuerat Agthius: De parabasi p. 141 sqq. Vellem Zielinskium quoque l. l. p. 180 sq. totum, nec modo quasi dimidiatum ad illos sese applicasse. Aliam sententiam tulerunt alii, velut Kolster: De parabasi veteris comoed. Attic. parte antiquissima p. 32, Hornungius l. l. p. 25 sq., Arnoldtius: De partibus choricis Aristoph. p. 146.

27) Quod in Nubium fabula in altera parabasi est posita (cf. vv. 1114 sqq.), id ea re excusatur, quod prior erat plena vituperationis neque preces apte poterant coniungi cum castigatione. Ceterum hac quoque re perspicitur poetae ingenium sibi rerum consuetudinem, non se rerum consuetudini subiungentis.

Rittero [28]), Beerio [29]), Ribbeckio [30]), Agthio [31]), Boeckhio [32]), Zielinskio [33]) cogitemus de interiectis carminibus, quae vel aliunde erant repetita, vel ad hanc fabulam elaborata a poeta non sunt facta iuris publici. Habemus enim in nostra comoedia alia carmina, quae sine ulla dubitatione sunt ad hanc ipsam fabulam a poeta inventa, habemus praeterea in Pluto canticum illud inde a v. 290. Atque hoc ex scholiastae testimonio (cf. ad v. 290) carmen quoddam Philoxeni poetae irrisum est, eundemque propter aliud carmen melicum in fine Ecclesiazusarum esse petitum sane probabilis est Bergkii coniectura [34]). Haec igitur carmina ad locos, quos obtinent, composita sunt et edita. Cur alia, quibus opus erat, poetam censebimus confecta non edidisse vel aliunde esse mutuatum, ut concedamus potuisse apte fieri, ut mutuaretur [35])? Et non stetisse per poetam sed per chorum, quominus carminibus nos adhuc delectemur, ex eis, quae iam sunt exposita, satis puto manifestum esse. Immo, si voluisset poeta chorum illis locis carminibus uti, profecto non esset impeditus, quominus ad spem victoriae augendam expromeret nova, quae ex consuetudine publici iuris faceret.

Neque metus est, ne a librariis ea sint omissa, quoniam cetera perscripserunt et ne meretricum quidem cantilenas (vv. 893 sqq.) sunt gravati. Praeterea nusquam ab illis universa carmina sunt deleta, cum quod in Nubium fabula post v. 888 desideratur, a poeta omnino non esse compositum propter fabulae condicionem multo sit veri similius [36]).

Et accedit alia quoque causa. Ranarum enim partem priorem perlustrantes carminaque comparantes cum aliarum fabularum non potest fugere ea, quae ibi inveniuntur, ad

---

28) Cf. Dindorfii Aristoph. comoed. edition. Oxoniens. vol. III, p. 23 sqq.

29) Cf. l. l. p. 109.

30) Cf. de comoedia media et recentiore p. 8 sq.

31) Cf. l. l. p. 175, p. 178.

32) Cf. l. l. p. 546.

33) Cf. l. l. p. 212; p. 273, cf. p. 158.

34) Cf. Comment. de rell. comoed. Attic. antiqu. p. 212.

35) Quae carmina cum fabulae mytho non cohaerentia Agathon auctore Aristotele (cf. de arte poet. p. 1456 a) interposuit, ea fuisse nova neque antea iam audita non facile quisquam negabit.

36) Cf. Beer. l. l. p. 129, qui est secutus God. Hermannum ad Nubium v. 888 edit. II. Lipsiens. a. 1830. Vide praeterea Nesemannum: De episodiis Aristoph. p. 5.

ipsum argumentum non spectare[37]). Testimonio sunt cantilenae ranarum inde a v. 209, quae nisi voces βρεκεκεκὲξ κοὰξ κοὰξ a Dionyso aegerrime essent latae, omnino non coniunctae essent cum fabulae actione. Neque magis prioribus mystarum carminibus cum eis quidquam est commune, quae in scaena aguntur, si exceperis parvas illas strophas, quae sequuntur versus 533 et 589. Quod non est admirandum. Nam argumentum ipsum erat humilius atque sordidius, quam quod chorus efferret laudibus perpetuis et carminibus prosecutus. Itaque ad Iacchi Cererisque invocationes et rei publicae salutem aptissime confugiens[38]) argumenti non prius habuit rationem, quam ad gravitatem dignitatemque esset evectum.

Verum in Ecclesiazusarum parte posteriore neque deorum neque rei publicae salutis erat locus. Nam scaena iam nimis exstiterat domestica, quam ut more antiquo cum ea copularetur orchestra quasi publica. Quod certe, quo erat ingenio, non fugit Aristophanem, qui carmine illo in fabulae exitu collocato satis indicavit sententias paulo graviores et severiores non esse ad rem, quae agebatur, convenientes. Itaque ubi ad carminum locum pervenerat, ne ipsum quidem censeo voluisse, ut chorus interponeret carmina, sed eiusmodi admisisse embolia, quae ut argumentum pariter essent δι' ὄχλου, verum tamen τερπνὰ καὶ κωμῳδικά.

Atque haud scio, an cum illis sit faciendum, qui ut in Romanorum[39]), ita etiam in Graecorum comoediis a choro destitutis actionis intercapedines a tibicine cantando expletas esse iure statuerunt[40]). Quod iam in Ecclesiazusis factum esse omnibus rebus adducimur, ut nobis persuadeamus. Quamquam inveniuntur, qui inter histrionum respirationes populum

---

37) Idem de carmine, quod est in Pluto inde a v. 290, iure statuit Zielinskius l. l. p. 158.

38) Vide, quae exposuerunt Kockius in fabulae edition. praefat. edit. tert. p. 30 sq. et Nesemannus in programmate Lissensi a. 1868, p. 20.

39) Cf. Plauti Pseud. I. 5. 160: tibicen vos interea hic delectaverit. Vide praeterea Donati argument. Andriae Terent.: Est igitur attente animadvertendum, ubi et quando scaena vacua sit ab omnibus personis, ut in ea chorus vel tibicen audiri possit; quod cum viderimus, ibi actum esse finitum debemus agnoscere.

40) Cf. Schneiderum: De Attic. re scaenica p. 216; Droysenum in Pluti versionis praef. p. 392 edit. tertiae; Nesemannum: De episod. Aristoph. p. 4 sq.

saltatione delectatum esse arbitrentur[41]). Verum tamen cum illis temporibus, quibus comoedia est acta, cives Athenienses summis angustiis premerentur, per se non admodum est probabile choragum, qui ad carminum legitimorum meditationem sumptus non praebuerat, chorum suscepisse alendum, ut saltationem exerceret. Et accedit, quod aliis quoque in fabulis eiusdem aetatis ars saltandi admodum videtur neglecta esse, id quod Platonis comici fragmento satis declaratur:

ὥστ' εἴ τις ὀρχοῖτ' εὖ, θέαμ' ἦν· νῦν δὲ δρῶσιν οὐδέν,
ἀλλ' ὥσπερ ἀπόπληκτοι στάδην ἑστῶτες ὠρύονται[42]).

Praeterea autem Pluti versibus 316 sqq., quos Engerus ad sententiam suam fulciendam in usum vocavit, ne comprobari quidem videtur, quod ille voluit eis demonstratum. Legimus enim haec Carionis verba:

ἄγ' εἶα νῦν τῶν σκωμμάτων ἀπαλλαγέντες ἤδη
ὑμεῖς ἐπ' ἄλλ' εἶδος τρέπεσθ',
ἐγὼ δ' ἰὼν ἤδη λάθρᾳ
βουλήσομαι τοῦ δεσπότου
λαβών τιν' ἄρτον καὶ κρέας
μασώμενος τὸ λοιπὸν οὕτω τῷ κόπῳ ξυνεῖναι.

Cario igitur, postquam *σκώμματα*, quae antea cum choro exercuerat, ad finem sunt perducta, iam vult abire et quieti sese dare. Chorum autem iubet *ἐπ' ἄλλ' εἶδος τρέπεσθαι.* Quid sibi vult: *ἄλλο εἶδος*? iure interrogabis. Num Engerum secuti aliam saltationis figuram intellegemus? At hae apud Graecos nominantur *σχήματα*, non *εἴδη*[43]). Et quam ob causam alio saltandi genere erat opus? Nonne eius rei iam satis erat factum, ut requiescerent histriones et Chremylus apte in scaenam posset statim prodire? Mihi quidem cum comparo v. 557:

σκώπτειν πειρᾷ καὶ κωμῳδεῖν τοῦ σπουδάζειν ἀμελήσας,

multo videtur veri similius choreutas illis verbis a Carione commoneri, ut nugis illis iam omissis animos ad fabulae

---

41) Cf. Engerum in Annal. philol. vol. 68, p. 261; Arnoldtium l. l. p. 103; Zielinskium l. l. p. 273.

42) Cf. Athen. XIV, 628 e; cf. Kockii comicor. Attic. frg. I, p. 636; cf. A. Muellerum l. l. p. 225.

43) Cf. Vesp. v. 1485; Pac. vv. 323 sq. Vide A. Muellerum l. l. p. 225.

actionem et ad scaenam converterent[44]). Etenim paulo post Chremylus in scaenam est egressus. Qui cum chorum comiter compellaret verbisque:

ὅπως δέ μοι καὶ τἄλλα συμπαραστάται
ἔσεσθε καὶ σωτῆρες ὄντως τοῦ θεοῦ (vv. 326 sq.)

orchestrae libertate quasi sublata rusticos, qui in ea erant, faceret ministros et satellites eorum, qui in scaena rem agebant, optime sane, si in meam sententiam accipitur, se habet Carionis adhortatio: *ὑμεῖς δ' ἐπ' ἄλλ' εἶδος τρέπεσθε.* Nimirum choreutarum quae fuerat natura propria, iam plane erat exuenda et abeundum in mutarum fere personarum otium, quae paene non ad partes vocabantur, nisi histrionum respiratione peracta denuo incipiebat actio (cf. vv. 627 sqq., 802 sqq., 959 sqq.).

Itaque plane abicienda est Engeri sententia iam ab Arnoldtio[45]) et Kockio[46]) iure impugnata. Ille enim statuerat praeter viginti quattuor choreutas saltatricum quoque aliquem numerum Aristophani ad fabulam agendam praesto fuisse[47]). Immo ne legitimi quidem chori, sed unius tibicinis operam in usum vocare aeque atque antea videtur poetae licuisse. Chorum autem, qui iam inde ab initio praeter consuetudinem rei ipsius, quae agebatur, partes susceperat[48]), post Praxagorae verba:

περιμείνατέ νυν, ἵνα τῆς ἀρχῆς, ἣν ἄρτι κεχειροτόνημαι
ξυμβούλοισιν πάσαις ὑμῖν χρήσωμαι. Καὶ γὰρ ἐκεῖ μοι
ἐν τῷ θορύβῳ καὶ τοῖς δεινοῖς ἀνδρειόταται γεγένησθε
(vv. 517 sqq., cf. Pluti vv. 326 sq.)

cum illis, qui in scaena versabantur, plane coniunctum egisse censuerim. Atque qui statim post reditum ex contione factum ad eam partem orchestrae accesserant[49]), quae scaenam attingebat, ei certe carmine illo, quod est inde a v. 571, decantato aditum, qui ex orchestra ad scaenam ferebat, et deinde scaenam ipsam occuparunt. Quod re vera esse

---

44) Cf. scholiastae adnotationem: ἐπ' ἄλλ' εἶδος: Εἰς ἄλλην ὁδόν τινα. ἄλλο τι ἐναντίον, εἰς τὸ μηκέτι σκώπτειν.

45) Cf. l. l. p. 104.

46) Cf. Annal. philol. vol. supplement. III, p. 274.

47) Cf. l. l. p. 261. Secutus eum est Schoenbornius, cf. De scaena Graec. p. 333.

48) Cf. Agthium l. l. p. 170, Nesemannum in programmate Lissensi a. 1868, p. 8, adn. 27.

49) Cf. v. 496: ἀλλ' εἶα δεῦρ' ἐπὶ σκιᾶς ἐλθοῦσα πρὸς τὸ τοίχιον κτλ.

factum evincitur his verbis, qui sunt coryphaei in fabulae exitu:

τὶ δῆτα διατρίβεις ἔχων, ἀλλ' οὐκ ἄγεις
τασδὶ λαβών; ἐν ὅσῳ δὲ καταβαίνεις, ἐγώ
ἐπᾴσομαι μέλος τι μελλοδειπνικόν (vv. 1150 sqq.).

Itaque eodem fere modo se habet res atque in Lysistrata[50]), quae fabula, ut est initium Ecclesiazusarum simile, exitum quoque habet non alienum. Choreutae igitur in nostrae comoediae parte posteriore pro personis mutis in scaena adfuisse statuendi sunt[51]), ut etiam nunc in theatris vel civium vel militum catervas consuevimus spectare. Quae vero choreutarum fuerat provincia, cantus nimirum, quoad eius fieri poterat, in fabulae parte posteriore ad histriones est delata, qui inde a v. 893 tibicine adhibito (vv. 891 sq.) alternis cantilenis populum delectaverunt[52]).

Quae cum ita sint, ut argumentum, ita etiam chorus Ecclesiazusarum in medio est positus inter antiquae et recentioris comoediae consuetudinem. Nam non plane desideramus cantum, neque omnino deest saltatio choreutarum pristino more instituta. Etenim carmen illud *μελλοδειπνικόν* in fine fabulae positum esse cum choreutarum saltatione a coryphaeo pronuntiatum ex verbis: *Κρητικῶς οὖν τῷ πόδε καὶ σὺ κίνει* iure collegit Westphalius[53]). Et si vera est Cobetii[54]) coniectura pro tradita lectione *ὑπανακινεῖν* in v. 1165 substituentis *ὑπαποκινεῖν*, poeta hoc verbo fortasse allusit ad certam quandam saltandi speciem[55]). Nam *ἀπόκινον* fuisse saltationem, *ἣν καὶ πολλαὶ ὠρχοῦντο γυναῖκες* testis est Athe-

---

50) Cf. vv. 1216 sqq. et praeterea Beerium l. l. p. 94; Schoenbornium l. l. p. 301 sq.

51) Vide, quae de quibusdam personis mutis in Avibus admissis exposui in commentationibus Ribbeckianis p. 518 sq.

52) Ne carmen quidem illud μελλοδειπνικόν a toto choro, sed ab uno coryphaeo cantatum esse recte statuerunt Bergkius in edition. praefat. p. XXIII; Arnoldtius l. l. p. 107, cf. p. 124; Velsenus. Errat Muffius in libro, qui est de pronuntiatione partium choric. Aristoph. p. 25, p. 174.

53) Cf. de re metrica II² p. 384. Adstipulati sunt Muffius, cf. l. l. p. 25; Zielinskius, cf. l. l. p. 190, adn. 1; A. Mueller., cf. l. l. p. 224, alii.

54) Cf. Mnemos. vol. II, p. 220. Receperunt eam coniecturam Meinekius Blaydesius, Velsenus. De ipso verbo ὑπαποκινεῖν cf. Av. v. 1011, Thesm. v. 924, Equ. v. 20.

55) Cf. Zielinskium l. l. p. 190 adn. 1.

naeus in libro XIV, p. 629 c, cf. schol. ad. Eq. v. 20, Poll. IV, 110. Praeterea autem haud scio, an etiam ἐπιπάροδος, quae est inde a. v. 478, sit cum saltatione decantata. Nam quae de tetrametorum iambicorum numeris ad saltandum aptissimis disseruit Westphalius [56]), mihi quidem plane persuasit. Num vero illi quoque versus, quos ante agona chorus interposuit vv. 571 sqq., sint a saltantibus pronuntiati, ut voluit Muffius [57]), mihi, ut libere profitear, non satis liquet. Neque quidquam refert. Vidimus sane, id quod ago, Aristophanem in Ecclesiazusis ut cantum, ita saltationem quoque choreutarum retinuisse, quoad eius fieri poterat [58]). Nimirum non sine dolore quodam et animi aegritudine [59]) putandus est a pristina comoediarum forma, quam ipse excoluerat, ad recentiorum poetarum consuetudinem et necessitatem transisse. Itaque quod novum genus emboliorum propter temporum et argumenti rationem erat adhibendum, in Ecclesiazusis, quam maxime potuit, non in usum vocavit, sed singula episodia produxit praeter consuetudinem. Quae res vix potest apte explicari, si intercapedines essent ex consuetudine cantilenis vel saltatione expletae. In Pluti autem fabula re magis inveterata et, ut videtur, et poetae ipsi et populo probata non dubitavit chori adiumento magis etiam resputo novo embolio multo largius uti.

3.

De chori adventu et discessu.

Subdifficilis sane et multum agitata est de chori adventu et discessu quaestio. Etenim cum carminum abiectio esset per se manifesta, propter chori condicionem id esse factum, profecta erat satis prompta suspicio. Verum tamen nullam

---

56) Cf. l. l. p. 493 sq. Westphalium saltationem statuentem si sequimur, concidit Kockii vituperatio carmen nimis esse languidum (cf. Annal. philol. vol. supplement. III, p. 275). Neque tamen probo eam rationem, qua Arnoldtius illam criminationem delere studuit l. l. p. 97 sqq.

57) Cf. l. l. p. 173.

58) Carmen metastaticum in fabulae parte priore non esse cum saltatione pronuntiatum et metro et sententiis evincitur. Cf. Westphalium l. l. p. 761; Muffium l. l. p. 77, p. 173; A. Muellerum l. l. p. 222.

59) Cf. Odofredi Muelleri histor. litter. Graec. vol. II, edit. tert. p. 233.

sententiam puto esse adhuc prolatam, quae cum fabula, ut est acta, plane congrueret.

Ac primum quidem de chori introitu non satis constat inter viros doctos. Apparet enim ex v. 31 feminam illa verba loquentem, quae sane erat e choro, non advenisse solam, neque tamen, quae illius fuerint comites, cognoscimus. Itaque exstiterunt, qui post Praxagorae orationem v. 30 totum chorum vel hemichorium statuerent introisse et introisse in orchestram[60]), cum alii chorum censerent scaenam occupasse[61]). Verum neutra sententia mihi videtur probanda, sed assentiendum Beerio, qui recte dixit eas ipsas mulieres, quae ad Praxagoram conveniunt, postea effecisse chorum[62]). Et profecto cum unam modo lucernam prospiceret Praxagora uniusque modo viri adventum suspicaretur vv. 27 sqq., vix oculorum auriumque sensus habuit tam hebetes atque obtusos, ut non sentiret multo plures feminas — duodecim vel viginti quattuor — appropinquare. Nam plures quoque lucernae essent adhibitae, ut in Vespis (cf. vv. 219, 255, 262), si toto choro vel hemichorio fuit via illustranda. Si vero advenientes tetendissent ad orchestram, ut illi voluerunt, non recta via ad ipsam scaenam, cur latebras petivit Praxagora? Et num fieri poterat, ut quae versabatur in pulpito, apte diceret se prospicere lucernam accedentem, si ea appropinquabat per orchestrae aditum? Nam si iam fuisset in ipsa orchestra, cum animadvertebatur, certe etiam aliae, quae maiori mulierum numero erant ferendae, non poterant non videri et praeterea a prodeuntibus esset visa Praxagora. Itaque se occultare fuisset non modo inutile, sed etiam ridiculum. Longis vero intervallis choreutas, qui post v. 29 adveniunt, accessisse est viri dissimillimum; et una eos esse profectos advenientium verbis, quae unus facit pro omnibus, satis innuitur (vv. 30 sq.).

Quae cum ita sint, meo quidem iudicio iam nihil relinquitur, nisi ut statuamus paucos modo choreutas post v. 29 adisse eosque adisse in ipsam scaenam. Paucos dico, nam non fuisse unum, sed plures, pronominum ἡμῶν (v. 31) et

---

60) Geppertus: De scaena Graec. antiqu. p. 161, p. 251, Engerus l. l. p. 257, Hornungius l. l. p. 15, Arnoldtius l. l. p. 100, Krusius in programmate Flensburgensi a. 1874, p. 27.

61) Cf. Schoenbornium l. l. p. 329, Agthium l. l. p. 170.

62) Cf. l. l. p. 103.

ὑμᾶς (v. 32) formis demonstratur. Quot igitur fere sunt statuendi? Quamquam hoc quidem loco vix opus est ad vivum hanc rem resecare, tamen ad consilium diligenter persequendum erit utilius.

Praxagoram si persequimur per totius prologi decursum, nusquam invenimus indicium, unde illam comitem secum habuisse concludatur. Nam quod v. 21 dicit: ἡμᾶς, certe omnes intellegit et comprehendit mulieres, quae eius consilii erant consciae. Itemque verbis εἰ μέμνησθε ἔτι (v. 22) non alloquitur comites, sed, id quod fit saepissime in comoediis, consessum spectatorum. Praeterea ipsa evocat vicini uxorem vv. 33 sq. Denique verbo: ἐπαναχωρήσω prorsus evincitur comitem cum Praxagora non in pulpitum venisse. Ac ne opus quidem erat, cum Praxagora prodisset vestitu virili instructa omniaque, quae ad rem gerendam erant usui, secum portaret. Quod declaratur primum timore et sollicitudine, ne veniret in viri conspectum (cf. v. 29, vv. 287 sq., cf. vv. 479 sqq., v. 495). Deinde nusquam commemoratur in scaena illam vestem mutasse, nisi quod ante orationem habendam cum paucis aliis (v. 122) faciei quoque persona pallida obductae (cf. vv. 385 sqq., v. 428: λευκός) barba addidit virilitatem.

Praxagora igitur sola ad scaenam accesserat. Neque id mirum. Etenim histrionis agebat partes, et nunquam ab Aristophane illis adiunguntur comites vel servi, nisi ad partes aliquas tuendas sunt necessarii.

Iam ex mulierum caterva segregemus alias, quae histrionis partes obtinuerunt. Atque amicam vicinam Praxagorae non fuisse e numero choreutarum iam a Beerio est coniectum[63]). Quod ad certum redigitur ea re, quod illam quoque videmus et calceis (cf. ὑποδουμένη v. 36) et veste virili (v. 40) exornatam prodisse. Praeterea domicilium habebat prope scaenam, ut inde in ipsum pulpitum egrederetur neque comite esset opus.

Tertiam denique si circumspicimus, quae erat pro histrione, mihi quidem non est dubium, quin fuerit non Geusistrate, cauponis coniux, ut voluit Beerius[64]), sed uxor Smi-

63) Cf. l. l. p. 104.
64) Ibid.

cythionis, Melistiche. Haec enim iam calceos viriles[65]) induisse dicitur (v. 47); et praeterea accedit sola (cf. μόνη v. 48, quae vox a Velseno in fabulae editione est iniuria in suspicionem vocata). Quamquam igitur nulla amica comitante per tenebras ad scaenam contendit, tamen praeter consuetudinem[66]) non secum duxit famulam, nimirum, quia histrioni non licebat.

Tres igitur illae mulieres iam omnibus rebus necessariis erant ornatae, nisi quod barbas nondum circumligaverant (vv. 118 sq., vv. 121 sqq.), sed vel gestabant manibus vel in sinu reconditas. Praeterea Praxagora e domo extulerat lucernam et coronas ad oratores de more exornandos, quas ipsam manu tenuisse perspicitur ex v. 122. Vicini autem uxor erat insignis fustis magnitudine (vv. 76 sqq.) — baculo etiam Praxagoram fuisse instructam cognoscimus ex vv. 543 sqq., ut de tertio histrione vix dubitare liceat —, Melistiche denique quasillo vv. 82 sq. Itaque his quidem omnibus ad eas res gestandas alieno auxilio non erat opus.

Iam videamus choreutas. Prodeunt in scaenam ipsarum vestibus instructae. Nam vv. 268 sqq. demum iubentur virorum calceos et vestimenta induere. Verum tamen non omni vestitu femineo videntur fuisse amictae, sed solis tuniculis, quae succinguntur v. 268. Nam Praxagora quoque eiusque amica *τὸ ἡμιδιπλοίδιον* (v. 318) vel *τὸ κροκωτίδιον*[67]) (v. 332) domi reliquerant (cf. v. 535), nimirum ne plurium vestimentorum onere et molestia premerentur. Et quoniam virorum formas non iam erant ementitae, hae quidem feminae lucernarum splendore tenebras audacter illustrabant (cf. v. 27, v. 50). Portanda autem erant singulis praeterea baculum, vestis virilis, calcei Laconici, barba (cf. vv. 68 sqq., vv. 269 sqq.). Iam quae dextera tenebat lucernam, Geusistrate (v. 49), quomodo tulit vestem, barbam, calceos, cum sinistra esset gestandum baculum? Num forte axilla adhibita? Toto caelo puto errare, si quis baiulorum modo arbitretur singulas

---

65) Nam illas ἐμβάδας fuisse Λακωνικάς apparet, si vv. 74 et 269 comparaveris cum v. 507 et vv. 345, 542 cum vv. 314, 342. Vide praeterea, quae exposuit Dierksius in Diario archaeol. vol. 43 p. 43 sq.

66) Cf. Beckeri Charicl. vol. III p. 268—271. Cf. Lysistr. v. 18: ἡ δ' οἰκέτην ἤγειρεν.

67) Cf. K. Fr. Hermanni antiqu. Graec. edit. sec. vol. III p. 162, p. 166 adn. 12; Beckeri Charicl. vol. III p. 176 sq.

mulieres prodisse. Alia enim est chori in Lysistrata condicio, ubi senes et aniculae ipsae ligna, faculas, hydrias ferentes adveniunt. Ancillae autem et pedissequae mulieribus nostro loco non videntur adfuisse. Nullum enim eius rei exstat vestigium, et praeterea ne opus quidem erat famularum auxilium, si choreutae non adveniebant singuli, sed bini vel terni et inter sese adiuvabant.

Sed iam tempus est redire, unde digressi sumus. Vidimus igitur veri simillimum esse choreutas non prodisse singulos, sed complures una coniunctos ad scaenam contendisse, id quod etiam ea re comprobatur, quod apud Aristophanem re vera Clinarete et Sostrate et Philaenete atque Philodoreti et Chaeretadis uxores dicuntur una advenisse. Itemque etiam Geusistrate putanda est cum amica aliqua accessisse, quae, cum illa lucernam dextera teneret, partem aliarum rerum ei necessariarum sibi imposuerat. Iam Melistiche cur sola ad scaenam adiret, cum supra exposuerimus, plane nihil credo obstare, quominus numerum pluralem v. 31 referamus ad duos modo choreutas, qui una intraverunt. Cur ad ipsos duos? iure interrogabis. Quia, si haec sententia cui probatur, haud scio, an facillime removeantur difficultates quaedam, quae insunt in voce *προσιόντων* (v. 31) ad mulierculas referenda. Nam etsi non desunt exempla, quibus evincitur a poetis maxime adhiberi interdum pluralem numerum generis masculini pro genere feminino[68]), tamen nostro loco nulla est causa perspicua, cur poeta recesserit a consuetudine, quam paulo inferius (v. 52) est secutus. Quod Blaydesio, ut est coniecturarum cupidissimus, satis fuit causae, ut priore quoque loco scriberet *προσιουσῶν*. Verum tamen cum nemo nesciat formas dualis numeri generis feminini esse rariores et plerumque compensari formis masculis[69]), velut ab ipso Aristophane in Pluti v. 512 et in Eccles. v. 1106, ubi Cobetius articulum quoque mihi videtur recte mutasse[70]), haud scio, an nostro quoque loco facillima mutatione pro »*προσιόντων*« sit restituendum »*προσιόντοιν*«. Nam in plurali numero coniuncto cum duali nihil est offendendum (cf. Av. v. 4: *ἀπο-*

68) Cf. G. Hermanni adnotat. ad Vigerum p. 715 et ad Orphic. hymn. 78, 4; Kuehneri grammat. Graec. vol. II p. 73 sq.

69) Cf. Kuehner. l. l. vol. I p. 464 adn. 3.

70) Cf. Mnemos. vol. II p. 219.

λούμεθα προφορουμένω, ibid. v. 33: ἡμεῖς. . . . τιμάμενοι, ἐστοὶ μετ' ἀστῶν, ἀνεπτόμεθα οὐ μισοῦντε ἐκείνην τὴν πόλιν. Plut v. 608 ὑμεῖς μεταπέμψασθον[71]).

Sed si cui, quod a me est propositum, minus placeat, per me licet traditam retineat scripturam, cum sententiam meam, qua post v. 29 pauci modo choreutae ad scaenam accesserunt, satis me munivisse arbitrer argumentis e rerum condicione repetitis[72]). Quae sententia commendatur Parisino quoque et Monacensi codicibus, in quibus versui 30 est praefixum: γυνή τις, neque vetatur libro Ravennate coryphaeum illa verba locutum esse exhibente. Nam profecto coryphaeus erat illa mulier, quae amicas a Praxagorae aedibus, quo ut convenirent erat edictum, ad contionem erat deductura. Et quia prodibat non toto choro vel hemichorio comitante, non profert tetrametros, ut paulo infra vv. 285 sqq., cum iam coryphaei partes et dignitatem suscepit tuendas, sed satis habet more histrionum pro se modo, non pro pluribus verba facientium trimetris uti iambicis.

Et si ex me quaeris, quisnam simul cum coryphaeo ad scaenam pervenerit, haud scio, an tibicen eum comitatus sit. Cui, nisi statim prodiit una cum coryphaeo, postea vix se obtulit adeundi apta occasio. Verum hoc nolim dicere confidentius. Etenim cum Avium carmina priora omissa tibia cantata esse mihi demonstrasse videar[73]), fieri sane potuit, ut etiam in Ecclesiazusis tibicen postea demum et ad partes vocaretur et locum occuparet. Nam ad carmen ἀγροικικόν, quod est in fabulae parte priore ab exeuntibus choreutis decantatum, fortasse ne aptus quidem erat cantus tibicinis. Neque aliter res se habere videtur in carmine, quod legitur post v. 477.

Sed mittamus haec, quia sunt inferioris generis. Engerus igitur et Arnoldtius post v. 29 chorum faciunt subito intrantem in orchestram. Verum quam ob causam prodit et cur prodit silentio? Et quid agit in orchestra inter mulierum contionandi meditationes? Cur Praxagora plures exspectat

---

71) Cf. Kuehner. l. l. vol. II p. 63.

72) Stangero vv. 30 sq. ut interpolatos eicienti vix est, qui adstipuletur. Cf. Blätter für das bayer. Gymnasialw. VIII p. 52.

73) Cf. commentat Ribbeck. p. 517 sq. Vide A. Muellerum l. l. p. 136 dan. 1; p. 210 adn. 2; p. 257.

mulieres choreutarum nulla ratione habita? Cur denique feminae eae, quae diu exspectatae in pulpitum convenerant, vestitu et disciplina instruuntur, si, ut voluit Arnoldtius [74]), choreutae veste et habitu non permutato proficiscuntur in contionem? Iam vides Engerum et Arnoldtium nullo modo se posse extricare ex angustiis, quas sibi paraverunt eorumque sententiam non esse ferendam [75]).

Quae cum ita sint, satis mihi videor comprobasse chorum non post v. 29 intrasse in orchestram, sed post coryphaei adventum paulatim in scaenam convenisse, ut ante Praxagorae verba: *κάθησθε τοίνυν κτλ.* (v. 57) etiam illae *ἕτεραι πολλαί*, quas paulo supra (v. 52) indicaverat, adessent omnesque iustum numerum viginti quattuor choreutarum efficerent [76]). Advenerunt igitur ex choreutarum numero primae Clinarete, Sostrate, Philaenete, quas prospiciens apte adhortatur coryphaeus, ut gradus accelerent. Nam vv. 43 sqq. cur invito libro Ravennate cum Dindorfio [77]), Meinekio [78]), Stangero [79]), Arnoldtio [80]), Blaydesio [81]) a coryphaeo abiudicemus, causa est nulla. Immo cum illae sententiae sint semper anteponendae, quae maxime congruunt cum codicum memoria, pro me sane facit, quod hoc loco mihi non est opus mutatione. Deinde postquam praeterea accesserunt Glyce, — nam eam adfuisse ipsam vix est quod negemus — Geusistrate, Philodoreti et Chaeretadis uxores et »multae admodum aliae« mulieres [82]), iam toto choro praesente ad contionis meditationem accingitur Praxagora v. 57.

Reicienda igitur est Bergkii aliorumque, qui illum sunt secuti, sententia dimidiam tantum chori partem, urbanas mulieres, post v. 29 prodisse et rusticas accessisse postea [83]). Quae coniectura nullo plane argumento innititur neque con-

74) Cf. l. l. p. 100.
75) Vide, quae iam opposuit Muffius l. l. p. 170 sqq.
76) Cf. Agthium l. l. p. 172 sq.
77) Cf. edit. fabulae.
78) Cf. adnotat. critic. p. XXVI in fab. edit.
79) Cf. l. l. VIII p. 55.
80) Cf. l. l. p. 100.
81) Cf. edition. fab.
82) Nominantur igitur septem choreutae, quibus octavus adiungitur coryphaeus. Nam Melistichen histrionis partes suscepisse antea exposuimus.
83) Cf. edition. praefat. vol. II p. XX.

firmatur Arnoldtii interpretatione verborum, quae sunt in vv. 51 sqq.[84]). Nam quod legimus: *ἔ τι πέρ ἐστ' ὄφελος ἐν τῇ πόλει*, vox *πόλις* non de urbe, sed de civitate Atheniensium ut passim intellegenda est, cf. vv. 175, 210, 397, 455, 456: *ἐν τῇ πόλει* etc. Immo totus chorus iam contionis meditationi adfuit in pulpito[85]). Atque, quae accesserant feminae, ad unam omnes ex urbe convenisse equidem persuasum habeo. Quod autem agrestium, non urbanorum hominum speciem induerunt, ideo est factum, quia ipsae erant ex infima plebe ad agricolarum mores et vestitum proxime accedenti. Et praeterea eis haec quoque agrestium consuetudo erat imitanda, ut, quo facilius laterent, tempore aeque matutino proficiscerentur, quo senes rustici consuerant ad contionem tendere[86]).

Contionis meditatione perpetrata et veste virili induta choreutae iubentur iam proficisci ad contionem ipsam cantantes carmen senile et imitantes modum cantandi agrestium (vv. 277 sqq.). Nimirum quia mulieres agricolarum natu grandium formam et speciem ementiebantur, Praxagora dux, ut singula quaeque, quae erant mulierculis praeter consuetudinem facienda, caute praecepit, id quoque monet, ne feminarum voces canoras in cantando emittant, sed imitentur virorum agrestium atque eorum senum voces et cantandi rationem. Quo facto Praxagora quoque quique praeter eam erant histriones, sunt de scaena exituri. Etenim vestis eis iam erat ad partes insequentes commutanda. Et aptissime poeta eos facit discessum excusantes verbis his:

ἡμεῖς δέ γε
προΐωμεν αὐτῶν· καὶ γὰρ ἑτέρας οἴομαι
ἐκ τῶν ἀγρῶν ἐς τὴν πύκν' ἥξειν ἄντικρυς
γυναῖκας (vv. 279 sqq.).

Quibus in verbis vox *αὐτῶν* sine ulla dubitatione cum Beerio, Engero, Hornungio, Arnoldtio ad choreutas referenda est, non ad: »*τῶν ἀγροίκων*«, ut voluerunt Schoenbornius et Agthius[87]). Nam histrionibus statim erat de scaena abeundum atque id eadem via, qua accesserant. Praeterea ne

84) Cf. l. l. p. 100.

85) Idem recte iam statuit Agthius cf. l. l. p. 171, p. 173.

86) Cf. Ach. vv. 19 sqq.

87) Meinekii coniecturam: προΐωμεν ἄσταί non posse probari per se est manifestum (cf. Vind. Arist. p. 289).

apte quidem poterant commixti cum choro proficisci [88]). Cui iam de scaena erat descendendum in orchestram et inde carmine demum senili decantato abeundum ad contionem. Itaque Praxagora recte via tendit de scaena ad pnycem et excusat aliarum mulierum agrestium catervam, nimirum ante contionem in ipsa via instruendam. Quae quidem in scaena vel orchestra non est spectata, id quod sibi persuaserunt Bergkius et Arnoldtius. Nam praeter alia, quae contra eos monuit Muffius [89]), illorum sententia mihi quidem videtur non posse non concidere propter vocem *ἄντικρυς*. Quamquam scholiasta Ravennas eam hoc loco pro »*αὐτίκα*« arbitratur positam esse. Sed quae iusta abeundi causa fuisset Praxagora aliisque histrionibus, si statim ad contionem venissent amicae rusticae? Nonne iure exspectares illos potius in scaena remansisse, ut cum advenientibus ibi statim colloquerentur? Verum si recta via illae dicebantur tendere, Praxagora apte sane poterat abire, ut amicas in via exciperet et cum illis quoque, priusquam ad pnycem pervenissent, communicaret consilia. Praeterea autem ex verbis: *ἐς τὴν πύκν' ἵξειν* iure mihi videor aliquid praesidii ad sententiam meam confirmandam repetere. Nam si per orchestram, ut illi quidem statuerunt, aut per scaenam mulieres rusticae ad pnycem contendissent, certe adventus earum esset spectatoribus a poeta de more indicatus. Et sane fuisset facile pro *ἐς τὴν πύκνα* scribere *ἐνταυθοῖ* vel tale quid, quo attenderentur Atheniensium animi.

Quae cum ita sint, choreutarum exitus mea quidem sententia se habuit ita. Postquam histriones abierunt id etiam monentes, ne diutius choreutae tempus tererent, coryphaeus iam partes suas suscepit. Qui dum iterum mulieres commonefacit, ut viros sese esse semper sint memores, cum illis de pulpito descendit in orchestram. Quo postquam omnes pervenerunt, chorus de more incepit cantare et cantu peracto per orchestrae aditum discessit ad contionem in pnyce habendam.

Quae si statuimus — et fabulam non esse actam aliter, equidem habeo persuasum — omnes difficultates simul sunt

88) Aliter se habet res in fabularum exitu, cf. Vespas, Ecclesiazusas, Plutum, ubi re bene peracta et histriones et choreutae cum aliqua cantilena forte oblata per orchestram una abeunt.

89) Cf. l. l. p. 171 sq.

remotae, quas alios, qui alias sententias tulerunt, sibi peperisse videmus[90]). Et aptissima ad meam quoque sententiam sunt verba vv. 300 sq.: *ὅρα δ' ὅπως ὠθήσομεν τούσδε τοὺς ἐξ ἄστεως ἥκοντας*, quibus Arnoldtius Engeri sententiam studuit infringere suamque non minus falsam et rursus a Muffio impugnatam comprobare. Tenendum enim est mulierculas agrestium speciem prae se ferentes ea verba locutas esse, ut mores quoque et cogitationes plebeculae rusticae imitarentur. Denique si universam spectas rationem meam, vix poteris negare eam ea quoque commendari re, quod certe multo est simplicior quam aliorum velut Arnoldtii artificiosa et nimis tortuosa explicatio.

4.

De chori epiparodo.

Contione peracta chorus revertitur et intrat denuo in orchestram post v. 477. Atque esse easdem mulieres, quae antea in scaenam convenerant, luculenter demonstratur vv. 489 sqq., quibus Praxagorae domum indicant se recognoscere. Illae autem *ἕτεραι ἐκ τῶν ἀγρῶν γυναῖκες*, quae vv. 280 sq. ad pnycem fingebantur contendere, inde statim domum revertisse statuendae sunt. Neque vereor, ne a quoquam spectatorum sint exspectatae tanquam in orchestram adventurae. Etenim quia legitimus choreutarum numerus redierat, incremento nullo erat opus. »At non plenum chorum in orchestram convenisse demonstratur poetae ipsius verbis. Cognoscimus enim ex v. 503: *χαῦται γὰρ ἥκουσιν πάλαι τὸ σχῆμα τοῦτ' ἔχουσαι* et ex v. 509: *καὶ μέντοι σὺ μὲν ταύτας κατευτρέπιζε* cum Praxagora certe unam mulierem in scaenam venisse, quae ad chorum delegatur.« Delegatur sane, et fortasse non una tantum, sed plures, id quod statuere non prohibemur pronomine *σύ* (v. 509)[91]). Verum tamen

---

90) Vide ipsas eorum dissertationes. Etenim longum est singulos quosque errores, qui alter alterum docuerunt, enumeratos refellere. Facile ipse invenies, quae non videantur credenda, velut quod Arnoldtius l. l. p. 102 mulierum urbanarum hemichorium, quod statuit, facit silentio de orchestra egressum.

91) Cf. Eccles. v. 293 sqq.: ἀλλ' ὦ Χαριτιμίδη καὶ Σμίκυθε καὶ Δράκης, ἕπου κατεπείγων, σαυτῷ προσέχων ὅπως μηδὲν παραχορδιεῖς ὧν δεῖ σ' ἀποδεῖξαι; ibid. v. 867: σὺ δ', ὦ Σίκων καὶ Παρμένων, αἵρεσθε τὴν παμπησίαν; Vesp. vv. 433 sq. ὦ Μίδα καὶ Φρὺξ βοήθει δεῦρο καὶ Μασύντια, καὶ λάβεσθε τουτουί. Quamquam Velsenus cum Blaydesio verba σὺ μέν ad eam refert mulierem, quae coryphaei partes agebat.

aliud est ad chorum delegari, aliud ipsas choreutarum partes agere. Atque illis, qui de chori parodo sententiam tulerunt a me alienam, haec ipsa verba videntur erroris ansam dedisse. Atque Engerus[92]) verba *χαῦται γὰρ ἵκουσιν κτλ.* interpretatus est de mulieribus, quae prius ad Praxagoram in scaenam convenerant quasque a choro vult seiunctas et putari saltatrices. Kockius[93]) autem ex illis verbis recte sibi est visus elicuisse, cum Praxagora dimidiam partem choreutarum advenisse in scaenam et inde in orchestram missam esse. Arnoldtius[94]) denique sibi persuasit et in Engeri et in Kockii sententiis aliquid veri inesse. Itaque ab illo recepit saltatrices, ab hoc hemichorium, ut nobis fidem faceret post v. 477 hemichorium modo in orchestram intravisse et alterum hemichorium post v. 503 demum cum Praxagora duce in scaenam prodisse, sed ita, ut illae mulieres choreutarum vim et speciem retinerent, hae vero in saltatrices spectarentur conversae. Quibus adstipulari nunquam potero. Atque de Engeri sententia Aristophani ad hanc fabulam agendam saltatricum quoque catervam praeter chorum legitimum adfuisse iam supra, quid sentirem, ita aperui, ut hoc loco non sit opus plura addere. Itemque Kockii iudicium non habet, quo commendetur. Etenim quod arbitratur Aristophanem ideo chorum reduxisse bipartitum, ne omnibus simul, sed duodecim modo choreutis in orchestra esset vestis coram spectatoribus mutanda, — nam quam partem dimidiam una cum Praxagora censet profectam, eam iam ante scaenae introitum putat pristina feminarum vestimenta recepisse —, ea causa re vera est nulla. Cur viginti quattuor choreutae non poterant simul vestem virilem coram spectatoribus deponere, quam in eorum conspectu antea induerant? Nullam ille protulit causam nisi hanc, eam rem fortasse *φορτικόν* fuisse neque poetam habuisse satis iocorum atque festivitatis, ut illam moram excusaret! Videtur igitur iam Kockius statuisse, id quod Arnoldtius aperte profitetur, duodecim comites Praxagorae verbis: *καὶ μέντοι σὺ μὲν ταύτας κατεντρέπιζε* alterum hemichorium in veste commutanda adiuvare iussas esse. Verum tamen neque Kockius neque Arnoldtius exposuerunt, cur duodecim choreutarum vel saltatricum opera esset neces-

92) Cf. l. l. p. 257.
93) Cf. l. l. p. 274.
94) Cf. l. l. p. 105.

saria, quoniam quae antea vestitum virilem induerant calceosque subligaverant ipsae, certe multo facilius eas res sine aliarum auxilio poterant reicere[95]). Et prorsus repudianda est Velseni versuum 508 et 509 permutatio, itemque Schneideri coniectura, quam ille vir doctus sententiae suae ut firmum substruxit fundamentum. Nam quod Schneiderus[96]) secutus Anzium[97]) in eo offendit, quod calcei bis memorentur, reticeatur barba, primum ut iustam coniecturae ansam habeant, illis erit demonstrandum Praxagoram venisse ad mulieres, quae barbas nondum abiecerant. Quod illis vix bene videtur esse cessurum. Etenim Praxagora ipsa non rettulit barbam, quoniam si coniugi occurrisset barbata, vel barbam ut alia vestimenta virilia tenuisset manibus, certe imprimis ea de re fuit illi reddenda ratio. Et profecto in barbarum usurpatione summum periculi erat positum, id quod ea re satis declaratur, quod Praxagora ipsa aliaeque mulieres eas non prius circumligaverunt, quam exigebatur necessitate (cf. vv. 118 sqq., v. 273)[98]). Quam ob rem prorsus est consentaneum Praxagoram quam primum barbam deiecisse, neque ulla est causa, cur alias mulieres cum Schneidero et Velseno statuamus non fuisse dicto audientes, ubi primum idem facere sunt iussae v. 502. Nam ipsae quoque barbis maxime angebantur (cf. vv. 494 sq.).

Quam ob rem equidem arbitror, Praxagora cum chorum alloqueretur v. 504, iam omnes barbas fuisse a mentis remotas. Praeterea autem non bis memorantur calcei Laconici, ut illi quidem voluerunt, sed paulo accuratius praescribitur modus deponendi, ut supra subligandi quoque ratio erat distinctius indicata (cf. v. 270: *ὥσπερ τὸν ἄνδρ' ἐθεᾶσθ' ἑκάστοτε*, v. 554: *μεθυπεδησάμην μιμουμένη σε*; cf. vv. 277 sqq.: *ᾖδουσαι μέλος πρεσβυτικόν τι, τὸν τρόπον μιμούμεναι τὸν τῶν ἀγροίκων*).

---

95) Quod cum intellegerent, Blaydesius atque Velsenus verba: καὶ μέντοι σὺ μὲν ταύτας κατευτρέπιζε ad coryphaeum pertinere censuerunt. Verum vix credendum est coryphaeo apte potuisse imperari, ut ille ipse choreutarum vestitui componendo extremam manum imponeret.

96) Cf. Annal. philol. vol. 113 p. 33.

97) Cf programma Rudolstadiense a. 1871 p. 28.

98) Quod v. 94 omnes ad unum editores post vocem ἐκεῖ interpunxerunt, non recte mihi videntur fecisse, quoniam mulieres paulo inferius (v. 273) eodem loco iubentur barbas circumligare, non demum in contione ipsa. Interpungendum est potius post verbum περιδησόμεσθα, ut particula ἐκεῖ coniungatur cum verbis insequentibus.

Quod eo magis erat aptum, quia ἐμβάδες Λακωνικαὶ mulieribus certe erant inusitatissimae. Nam quibus solebant uti, cothurni non videntur habenis circum crura esse colligati et adstricti, sed proxime accessisse ad nostra calceamenta virilia crura et suras latiore ambitu circumdantia[99]).

Itaque nihil erat, quod Velsenus adiectivum παγωνικὰς pro Λακωνικὰς a Schneidero inventum in textum reciperet v. 508 versuumque ordine mutato plus extorqueret causae, propter quam choreutarum vel saltatricum operam magis etiam necessariam fuisse possent sibi persuadere, qui cum Kockio vel Arnoldtio faciunt. Et mea quidem sententia verbum κατευτρέπιζε (v. 510) non pertinet ad novum quendam cultum habitumque perficiendum, sed ad priorem vestitum de more rursus componendum et extrema vestis mutatae vestigia delenda. Atque hanc in opinionem quivis eam vocem accipiet, qui non praeoccupato animo illum locum legerit.

Verum si quis velit facere cum Arnoldtio, certe illi erit demonstrandum, curnam in orchestram hemichorium modo reditum fecerit, quoniam totus chorus inde erat profectus, vel, si hoc dicat propter Praxagoram ex contione deducendam factum esse necessario, quam ob causam ad duodecim mulierum vestitum priorem restituendum totidem aliae feminae apte a poeta potuerint inductae indicari. Mihi quidem haec chori inducendi ratio videtur Aristophanis ingenio indignior et eo etiam ineptior, quia ex illorum sententia adducuntur saltatrices ad rem non modo futtilem, sed etiam plane inutilem perpetrandam. Cur enim choreutarum hemichorium a saltatricibus expeditur, si ab ipsis postea nihil eiusmodi agitur, ut opus sit veste bene composita? Immo si poeta adhibuisset saltatricum hemichorium, certe earum aditum artius atque subtilius cum re, quae agebatur, coniunxisset (cf. Vesp. vv. 1497 sqq.).

---

99) Cf. Herodoti descriptionem in libro VI c. 125, ad quam bene quadrant verba in v. 346: ἐς τὼ κοϑόρνω τὼ πόϑ' ἑνϑεὶς ἕεμαι et v. 319 verbum ὑφέλκομαι a Meinekio in Vind. Aristoph. p. 191 non recte explicatum. Itaque ne Praxagorae quidem tergiversationem: ἵνα ϑοἱμάτιον σώσαιμι v. 544 a vera ratione esse alienam quivis intelleget, qui nostratium agricolarum feminas viderit virorum calceamentis non sine magno vestis detrimento uti. Ceterum cf. Dierksii explanationem l. l. p. 44. Atque cothurnos fuisse ita comparatos, ut ad utrumque pedem essent apti, docemur Theramenis cognomine.

Iam vides, quantopere per se laboret illa sententia. Sed labefactatur magis etiam ea re, quod ab Engero et Arnoldtio nulla est gravior causa allata, cur mulieres rusticae, quas statuerant, non redirent ad orchestram neque cum Praxagora spectarentur in pulpito. Etenim si illinc erant una profectae cum urbanis, cur postea nulla excusatione a poeta facta non redierunt, cum illae ad pristinum locum reverterentur? Nam ad consilium in contione bene perfectum non minus valuerant quam amicae urbanae. Nonne id plane abhorret ab Aristophanis comoediarum consuetudine, et spectatoribus rusticarum mulierum fuga et desertio, ut ita dicam, non fuit iure aeque admiranda, atque quod ex illorum sententia postea saltatricum caterva est subito immissa? Mihi quidem, si chorus non redisset idem, qui ex orchestra profectus erat, certe per Praxagoram in eius ad chorum oratione videtur Aristophani excusandum fuisse.

Retineo igitur sententiam supra indicatam universum chorum, qui ex orchestra ad contionem profectus erat, epiparodum in orchestram fecisse. At quae sunt intellegendae comites Praxagorae in scaenam advenisse? Nam eam ex contione non revertisse solam non facile erit, quin concedat. Si comparamus ex Pacis fabulae vv. 729 sqq.:

ἡμεῖς δὲ τέως τάδε τὰ σκεύη παραδόντες
τοῖς ἀκολούθοις δῶμεν σώζειν, ὡς εἰώθασι μάλιστα
περὶ τὰς σκίνας πλεῖστοι κλέπται κυπτάζειν καὶ κακοποιεῖν.
ἀλλὰ φυλάττετε ταῦτ' ἀνδρείως·

haud scio, an omnes difficultates facile removeantur. Opportune nimirum Praxagoram ducem sunt secutae comites neque opus erat hanc rem coram spectatoribus explicare vel excusare. Quae cum illam non possent amplius sequi, apte demittebantur in orchestram ea causa prolata, ut choreutarum pristinum vestitum plane restituerent. Et praeter histrionum choreutarumque iustum numerum etiam paucas alias personas fuisse ad fabulam agendam necessarias, pro certe demonstratur vv. 833, 867 sq. et anicularum de iuvene contentione[100]). Quamquam *περιστίαρχος*, qui v. 128 iubetur circumferre mustelam, meo quidem iudicio non aderat in

100) Cf. Engerum l. l. p. 260, Beerium l. l. p. 112.

scaena. Nam verba illa non esse facta secuta Ariphradis mentione iniecta v. 129 demonstratur [101]).

Reliquum est, ut de eis, quae v. 1138 nominantur *μείρακες*, quid sentiam, aperiam. Etenim hanc quoque vocem Engerus et Arnoldtius ad illam de saltatricibus sententiam comprobandam in usum vocaverunt. Et mihi quidem *μείρακες* videntur eaedem personae intellegendae atque choreutae. Verum illi quidem ut alias hoc quoque loco vix egerunt prudenter. Etenim si verbis:

ὅμως δ' ἐκέλευε συλλαβοῦσαν μ' ἡ γυνή
ἄγειν σε καὶ τασδὶ μετὰ σοῦ τὰς μείρακας

solae saltatrices essent ad cenam invitatae, quid erat causae, cur ut in aliis fabulis (cf. Pacis et Avium exitus) non totus chorus ad epulas vocaretur? Atque praeterea, si ex illorum sententia choreutas non invitarat famula, quomodo coryphaeus potuit se et mulieres esse invitatas indicare his verbis:

ὦ ὦ ὥρα δή,
ὦ φίλαι γυναῖκες, εἴπερ μέλλομεν τὸ χρῆμα δρᾶν,
ἐπὶ τὸ δεῖπνον ὑπαποκινεῖν (v. 1163 sq.)

vel choreutae apte cantare: *δειπνήσομεν* v. 1180? Quod ne Engerum quidem et Arnoldtium videtur fugisse. Itaque invito codice Ravennate vv. 1144 sqq. a domino abiudicatos tribuerunt coryphaeo. Verum, ut haec mutatio alicui placeat, num illi versus sunt ita comparati, ut choreutis propter illos aditus ad epulas pateret? Iure igitur Bergkius in altera editione, Blaydesius Velsenus, Blepyro ea verba attribuerunt, quippe quae non spectarent ad choreutas, sed ad spectatores quoque ad epulas adhibendos.

Quod autem illi sibi persuaserunt choreutas non potuisse vocari *μείρακας*, quia semper appellentur *γυναῖκες*, haec causa plane est nulla. Comparemus exempli causa ex Acharnensibus v. 342: *καὶ σὺ κατάθου πάλιν τὸ ξίφος* et v. 345: *ἀλλὰ*

---

101) Saepius poeta maiorem, quam qui re vera adest, fingit personarum numerum vel simulat res fieri, quae non in scaena acta sunt, cf. Vesp. v. 179: κάνθων, τί κλάεις; Pac. vv. 660 sqq., ubi Pax dea erat persona muta Cf. denique Vesp. 362, ubi a duobus servis, Sosia et Xanthia, Philocleo se dicit custodiri, etsi Sosias iam post v. 142 abiit et ipse Philocleonis partes tuetur (cf. Beer. l. l. p. 47), et praeterea Plut. v. 624, ubi vocatur Cario, qui modo exiit, postquam Paupertatis partes transegit.

κατάθου τὸ βέλος, ubi iam scholiasta recte adnotavit: σημειωτέον ὅτι ἐπὶ ξίφους τὸ βέλος τέθεικε. Vel afferamus ex eadem fabula v. 1063, ubi Dicaeopolis eandem personam, quae paulo ante dicta est: νυμφεύτρια (v. 1056) alloquitur: ὦ γύναι, vel denique v. 1228, ubi Dicaeopolis a choro compellatur ὦ πρέσβυ senectutis eius numquam antea mentione facta [102]). Iam satis credo manifestum esse μειράκων appellationem non habere, cur ad choreutas non referatur.

Praeterea autem non est neglegendum, quod μείρακες nominantur choreutae a serva satis sane garrula et lasciva. Nam alia certe esset causa, si a Praxagora vel choreutis ipsis ea verba essent prolata. Verum ad famulam dominae subita maiestate non mediocriter elatam (cf. vv. 1112 sqq.) nonne id optime est aptum, quod choreutas, quae quidem ipsae se semper nominaverunt γυναῖκας, cum levi quadam contemptione vocat μείρακας, quae erant re vera[103])? Etenim iuvenili admodum aetate et habitu fuisse, qui choreutarum partes susceperant, per se manifestum est. Itaque ab omni parte retinenda est scholiastae Ravennatis auctoritas, qui invito Arnoldtio (cf. p. 105) ad vocem μείρακας adiecit explanationem hanc: τὰς τοῦ χοροῦ.

Superest, ut ea, quae proxima dissertatione sunt exposita, sub uno quasi conspectu apponam breviter comprehensa. Vidimus igitur fabulam videri actam festo die Lenaeorum. Neque tamen probavimus eius annum natalicium a Goetzio inventum, sed iam Ol. 97 anno secundo comoediam esse actam maluimus statuere. Vidimus praeterea ipsum fabulae argumentum esse eiusmodi, ut parabasis locus episodiorumque intervalla non explerentur carminibus, sed esset adhibendum levius quoddam emboliorum genus, cantus tibicinis. Vidimus denique chorum quattuor et viginti hominum ad Praxagoram

---

102) Quam poetae consuetudinem si respexisset Leo, non in voce ὦ πρέσβυ offendisset. Cf. eius dissertationem, quae inscribitur: Quaestiones Aristophaneae et praeterea Mus. Rhenani vol. XXXIII p. 414 sqq.

103) Quae μειράκων fuerit aetas, ea de re vide Aristophanis Byzantii grammatici fragmenta ed. Nauck. p. 88, p. 97.

in scaenam convenisse, inde descendisse in orchestram et carmine decantato ad contionem esse profectum. Qua peracta plenum choreutarum numerum statuimus redisse in orchestram et inde per fabulae decursum per aditum, qui ferebat ad pulpitum, in scaenam escendisse, ut ad extremum una cum histrionibus abiret per aditum orchestrae denuo occupatae.

Vita.

Kal. Septembr. anni h. s. LXI patre Ioanne Kaehler, matre Christina e gente Koch sum natus in viculo Lauenburgensi, qui dicitur Gross-Zecher. Fidei evangelicae cum addicerer, Ernesto, Augusto, Friderico, Carsteno mihi sunt nomina indita. Puer novem annorum iam patre orbus magistro traditus sum, qui mihi inculcabat litterarum elementa. Tandem Otto Prahl, pastor tum Seedorfiensium, matrem adiit, ut ad se mitterer erudiendus. Qui cum mansuetudine non minus quam doctrina insignis aliquamdiu mihi exstitisset praeceptor unice dilectus animumque allexisset poetarum antiquorum venustate revoluta, quia morbo eheu letali ille implicabatur, ipse gymnasio Laciburgensi traditus sum, Steinmetzio quod floret directore. Quod postquam frequentavi per quinque annos et dimidium egregia usus praeceptorum benevolentia, Kal. Martiis a. LXXXII maturitatis testimonio accepto dignus iudicatus sum, qui studia academica capesserem. Itaque Tubingam me contuli, qui theologiae darem operam. Verum ut ipse iam dudum adamaram studia philologica, praeter Weizsaeckerum theologum auscultavi Gutschmidii scholas historicas et grammaticas Herzogii. Spatio semestri peracto Lipsiensem petivi academiam, ubi brevi factum est, ut totus ad philologos converterer. Atque per novies sex menses, ut mittam theologos, frequentavi scholas Brandesii, Brugmanii, Curtii, Ecksteinii, Gardthauseni, Heinzii, Hermanni, Hirzelii, Langii, Lipsii, Maurenbrecheri, Meyeri, Overbeckii, Ribbeckii, Voigtii, Wenckii, Windischii, Zarnckii. Proseminarii et seminarii philologici moderantibus Lipsio, Langio, Ribbeckio per terna semestria sodalis fui ordinarius. In seminario historico Meyeri, in germanico Zarnckii, in paedagogico Richteri disciplina institutus sum. Societatum

exercitationibus antiquariis et criticis ut interessem, benigne mihi concesserunt Hirzelius, Langius, Lipsius, Ribbeckius.

Quibus cum omnibus meritas habeam gratias, eximias debeo **Rudolfo Hirzel,** qui studia mea insigni quadam fovit benevolentia et praesentem et absentem hucusque nunquam non est prosecutus consilio et auctoritate.

Examine pro facultate docendi a. d. V et IV Nonas Martias a. LXXXVII absoluto per annum in Regio gymnasio Christianeo Altonensi pueris ratione et via instituendis operam navavi. Deinde mihi contigit, ut in gymnasio Catharineo Lubecensi statim susciperem praeceptoris munia.

Examen rigorosum Nonis Martiis h. a. absolvi in academia Kiliensi.

Sententiae controversae.

I.

Quamquam non possunt probari, quae de Pacis Aristophaneae vi et consilio protulit Zielinskius, iure tamen ille non priorem, sed alteram Pacis comoediam aetatem tulisse statuit. Cf. de partit. comoed. Attic. ant. p. 63 sqq.

II.

In Lysistrat. Aristoph. v. 563 non *ἕτερος δ' αὖ Θρᾷξ πέλτην σείων κἀκόντιον, ὥσπερ ὁ Τηρεύς*, sed *ὥσπερ ὁ Τήρης* esse legendum. Cf. Thucyd. II. 29.

III.

In Eurip. Iphig. Taur. v. 340 pro:

θαυμάστ' ἔλεξας τὸν φανένθ', ὅστις ποτέ
Ἕλληνος ἐκ γῆς πόντον ἦλθεν ἄξενον,

scribendum esse: *τὸν μανένθ'*.

IV.

In Propert. libr. V. 7. 69 corrigendum esse:

Sic mortis lacrimis vitae renovamus amores.

Cf. Catull. 96.3.

V.

Senec. Hercul. Oetaei vv. 1276 sqq. legendos esse:

durior saxo horrido
et chalybe voltus et vaga Symplegade
victus minas infregit et lacrimam expulit,

non: rictus meos infregit. Cf. Hercul. Fur. v. 806.